EPISTVLA SAPPHVS

EDIDIT

S. G. DE VRIES

S/l Hawes
mit verbindlichem Dank
d. V.

EPISTVLA

SAPPHVS AD PHAONEM.

EPISTVLA
SAPPHVS AD PHAONEM

APPARATV CRITICO INSTRVCTA COMMENTARIO ILLVSTRATA ET OVIDIO VINDICATA.

SPECIMEN LITTERARIVM INAVGVRALE

QVOD

ANNVENTE SVMMO NVMINE

EX AVCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS PETRI NICOLAI LAND

THEOL. DOCT. IN FACVLTATE LITTERARVM ET PHILOSOPHIAE PROF.

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI CONSENSV

ET

NOBILISSIMAE FACVLTATIS LITTERARVM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADV DOCTORATVS

SVMMISQVE IN LITTERARVM CLASSICARVM DISCIPLINA
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

IN VNIVERSITATE LVGDVNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS FACVLTATIS EXAMINI SVBMITTET

SCATO GOCKO DE VRIES
LVGDVNO-BATAVVS

DIE X M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXV HORA III.

LVGDVNI-BATAVORVM
APVD S. C. VAN DOESBVRGH.
MDCCCLXXXV.

TYPIS E. I. BRILL.

PARENTIBVS SACRVM.

PRAEFATIO.

Libellum compositurus, quo spatio academico decurso litterarum studii mei documenta ederem, Sapphus Epistulam mihi sumpsi tractandam. De ratione, quam inter scribendum secutus sum, haec potissimum praemonenda uidentur. Simulatque opus aggressus sum intellexi post egregiam Comparettii disputationem hoc inprimis mihi esse agendum, ut dedita opera tractarem eam partem, quam ille Vir Cl. ut a proposito suo alienam omisisset, id est ut textus recensionem ederem plena et accurata codicum notitia innixam. Nam cum codices ceterarum Heroidum, quae Ouidii nomine sunt inscriptae, ea seueritate, quam haec nostra aetas requirit, a uariis eruditis excussi sint, neglecta fere iacuit Sapphus epistula, eum quidem in modum ut multis locis in dubio uersaremur quid in optimis MSS. esset traditum. Haud inutile ergo est uisum codices illos, quotquot exstare comperissem, omnes diligenter conferre et uarias eorum lectiones ad singula epistulae uerba adnotare. Mox autem uidi multos eorum ita esse corruptos interpolatos deprauatos ut ad textum rite constituendum nullius fere pretii essent habendi. Quapropter diu multumque haesitaui utrum omnium omnibus locis lectiones memorarem, an eligerem eos solos qui fide digni uiderentur, ceteros abicerem. Dubitanti tamen satius est uisum omnes citare, et quia difficillimum est modum in eligendo tenere, et quia plerosque eorum codicum aut prorsus incognitos aut parum accurate inspectos uidebam, ideoque omnes publici iuris facere opus non plane superuacaneum putabam. In colligendis

autem MSS. singulari beneuolentia a VV. doct. compluribus adiutus sum, quorum suis locis in Prolegomenis grato animo recordabor; inprimis uero eximiis sibi me deuinxerunt beneficiis Comparetti et Sedlmayer, Viri Clarissimi, quibus gratias habeo semperque habebo quam maximas.

In commentario ad Epistulam singulos uersus cum Ouidii carminibus procul dubio genuinis sedulo comparaui. Quamquam enim haud ignoro ex eiusmodi locis inter se comparatis, nisi alia accedant argumenta, certi quicquam de ipsius carminis auctore effici nullo modo posse, non tamen inutile uidebatur hanc quaestionis partem, non nisi obiter adhuc examinatam, fusius atque uberius de industria retractare; unde — praesertim cum agatur de poeta qualis fuit Ouidius — quanti fructus possint redundare exemplum docet Wolframi Zingerlei, qui hanc uiam ingressus de Heroidum epistulis (excepta tamen Sapphus epistula) optime est meritus [1]).

Restat ut fungar officio, quo nullum mihi exoptatius potest accidere, ut iis gratias agam, quorum institutione academica frui mihi contigit. In quibus Tu primus compellandus es, Clarissime Cornelissen, promotor aestimatissime. Ex quo enim tempore in hac Vniuersitate litteris operam nauare coepi, Tu mihi exstitisti et studiorum dux fidelissimus et fautor beneuolentissimus. Hocce autem opusculum conscribenti et consiliis et monitis quam humanissime adfuisti. Quorum omnium grata recordatio ex animo meo numquam euanescet.

Te, Clarissime Cobet, praeceptore uti quod mihi per quinque annos licuit, laetabor semper et gloriabor. Tua de litterarum ueterum disciplina et de Vniuersitate Leidensi merita praedicare non meum est. Sed quod meum est, id praestare conabor: ut Tuis praeceptis imbutus Tuoque exemplo incitatus in excolendis

---

1) W. Zingerle, *Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Heroiden Ovid's* Oenipont. 1878.

studiis humanioribus alacriter pergam et, quam Tu discipulis monstrare solebas, uiam firmiter insistam.

Ceteris quoque Viris Clarissimis, quibus praeceptoribus et fautoribus in hac Academia usus sum, gratias habeo habeboque sinceras.

Professores in alma Musarum sede Bonnensi, quorum lectionibus per anni spatium interesse mihi contigit, enixe rogatos uelim ut sibi persuasum habeant me grato semper animo recordaturum, quantum eorum et eruditioni et humanitati et in me beneuolentiae debeam. Quod Tibi inprimis dictum sit, Clarissime Bvecheler, praeceptor multis nominibus carissime, Vobisque etiam R. Kekvlé, Schwartz, Vsener, Viri Clarissimi, a quibus in uariis disciplinae nostrae partibus institui magno mihi fuit et gaudio et emolumento.

At grati animi sensum uerbis testificari iam supersedeo. Hoc enim potius mihi est agendum ut factis studeam comprobare quo erga Vos omnes animo sim. Ita demum fieri poterit ut aliquando talium Virorum beneficiis non prorsus indignus reperiar.

PROLEGOMENA.

Epistula Sapphus, quae in editionibus Ouidianis inde ab Heinsio usque ad Merkelium omnibus inter Ouidii Heroidum epistulas legitur loco XV, in nullo carminum Ouidii codice eo ipso loco inuenitur. In uetustissimis optimisque codd. omittitur (neque inter Heroides eam Graece uertit Maximus Planudes), in multis est aut ceteris Heroidum epistulis praemissa, aut in calcem operis — post Cydippes epistulam — reiecta, aut separatim inter alia Ouidii carmina, Amores maxime et Fastos, scripta; saepe denique in codicibus alius scriptoris Latini opera continentibus inuenitur. Ouidii autem nomine non est inscripta nisi in paucis saec. XV MS., in plerisque ut ipsius Sapphus carmen circumfertur. In editionibus uero ueteribus inde a Bononiensi et Romana principibus (an. 1471) usque ad Heinsianam primam omnibus Heroidum numero uel praeposita est uel postposita. Hoc modo cum sit posteritati tradita Sapphus epistula, haud mirandum est Heinsium a multis esse uituperatum quod temere — ut uidebatur — illi XV locum inter Heroidum epistulas assignasset. Iniuria uero primus sic fecisse dicitur uulgo Nicolaus Heinsius, Ouidii ille uere sospitator; iam enim in editione Ouidii carminum Elzeuiriana prima, a Daniele Heinsio an. 1629 curata, cum decimum aetatis annum nondum ingressus esset filius Nicolaus, illum ipsum locum epistulae Sapphus datum esse uidemus. Nec tamen casu quodam factum esse ut

ita ageret Dan. Heinsius [1]), uel Scaliger (cuius adnotationes praesto erant illi [2]), sed uetere quodam usum testimonio eum sic collocasse epistulam, iam ex ipsa rei indole apparet. Cum uero nullus esset notus codex Ouidianus illo XV loco inter Heroides exhibens hanc epistulam, uulgo credebant VV. DD. ideo mutasse ordinem Heinsium quod ipse Ouidius Am. II. 18. 26, Sapphus epistulam a se scriptam inter Heroides suas praecipuas enumeraret ultimam: illa autem loco XV collocata agmen Heroidum quae proprie uocarentur claudi; epistulas enim iis adiectas iam non esse »Heroides", sed epistulas feminarum et uirorum mutuas, quae postea demum ab Ouidio prioribus additae essent. — Haec, inquam, erat opinio uulgo accepta, donec anno 1843 Schneidewin a Duebnero edoctus in Mus. Rhen. N. S. III. p. 144 euulgauit adseruari Parisiis codicem quemdam saec. XIII (17903. Notre Dame 188), excerpta et ex aliis scriptoribus Latinis — ueluti nota illa Tibulli — et ex Ouidii Met. Fast. Her. continentem; in eo uero inter Heroidum XIV (Hypermnestrae) et XV [XVI] (Paridis) excerpta uersus aliquot legi huius nostrae epistulae Sapphus. Eosdem uersus aliis auctos inueniri quoque in alio codice Parisino 7647 saec. XIII post Meynckium (Mus. Rhen. XXV. p. 371) docuit Comparetti »*sull' autenticità della epistola Ovidiana di Saffo a Faone*" [3]) p. 25. Quanti autem momenti sit ea res ad indagandam Sapphus epistulae originem uix opus est monere. Cum enim iam satis superque a multis uiris doctis sit demonstratum omnia illa excerpta ex uno eodemque archetypo originem du-

1) Theod. Birt (Mus. Rhen. XXXII. p. 394. n. 1) qui putat Nic. Heinsium primum ita collocasse epistulam, non casu ac diuinando sed codice quodam uetere usum eum id fecisse ex ipsius Nic. Heinsii uerbis minus recte colligit. Nam in Heinsii uerbis, citatis a Birtio „*epistula ut plurimum reiecta in calcem operis*" non significat H. epistulam in plerisque codd. in calcem operis reiectam esse, in nonnullis igitur suo loco inueniri, sed plerumque eam post ceteras Her. legi, interdum tamen uel ceteris praemissam esse uel in codd. alius scriptoris operum inueniri.

2) Cf. Dan. Heinsius „amico lectori" in Ouid. Elzeuir. 1629. I. p. XXI.

3) „Pubblicazioni del R. Istituto di studi superiori in Firenze". Vol. II. Disp. I. 1876.

cere [1]), primumque a uiro nescio quo esse collecta saec. IX uel saltem X [2]) — apparet iam ante saeculum decimum codicem quemdam fuisse carminum Ouidii, in quo haec nostra epistula Sapphus ut genuinum Ouidii opus inter Her. XIV et XV [XVI] haberet locum. Nec dubium potest esse quin codex ille, continens Sapph. ep., itaque aetate longe remotus ab illis codd. Ouidianis, qui inde a Caroli Magni temporibus diuulgari coepti sint, iam ante tempora illa fuerit scriptus, immo non ita multo recesserit a noto illo archetypo Ouidiano, quem saec. VI uel VII scriptum esse ostendit Luc. Mueller (de re metr. p. 43 sqq.).

Sunt autem ea excerpta haecce [3]):

a) in cod. Paris. 17903 (Notre Dame 188):

(31) Si mihi difficilis formam natura negauit
(32) Ingenio forme dampna rependo mee
(33) Sum breuis at nomen quod terras impleat omnes
(34) Est mihi mensuram nominis ipsa fero
(195) Ipsis dolor artibus obstat.
(196) Ingenium nimiis deficit omne malis

b) in cod. Paris. 7647:

(14) Sunt uacue carmina mentis opus
(31) Si mihi difficilis formam natura negauit.
(32) Ingenio forme dampna rependo mee
(33) Sum breuis. at nomen quod terras impleat omnes
(34) Est mihi. mensuram nominis ipsa fero.
(65) Fastus inops agili peragit freta cerula remo.
(66) Quasque male amisit. nunc male querit opes
(72) Non agitur uento nostra carina suo

1) Cf. Baehrens, Praef. in Tibull. p. XII.

2) Cf. Luc. Mueller, Annal. philol. et paed. 1869. p. 75; Praef. in Tibull. p. VII. Birt minus recte coniecit ea excerpta iam ipsa antiquitate esse collecta; cf. E. Hiller in Herme, 1883. p. 352. n. 2.

3) Auctiora quod ea possim edere quam adhuc sit factum grato animo profiteor me debere insigni benignitati Sedlmayeri V. C., qui accurate ea meum in usum descripsit.

(81) Sepe abeunt studia in mores artesque magistre
(195) Ipsis dolor artibus obstat.
(196) Ingenium nimiis deficit omne malis.

Item apud Vincentium Bellouacensem (saec. XIII), qui in Speculo suo Historiali eadem fere excerpta ac codices illi Parisini eodemque ordine nobis seruauit quamquam pauciora — elegit enim ea tantum quae proposito suo conuenire uiderentur — lib. VII. c. 107 inter us. 56 epistulae Hypermnestrae [XIV] et us. 7 epistulae Paridis [XV] legitur Sapph. ep. us. 196:

Ingenium nimiis deficit omne malis.

Exscripsit haec Vincentius sine dubio ex excerptis illis Parisinis, ut contra O. Richterum [1]), opinatum ipsos scriptorum ueterum libros Vincentio in manibus fuisse, euicit E. Protzen, de excerptis Tibull. [2]) p. 33: congruit enim Vincentius cum iis Excerptis in lectionibus plurimis, quae non ab ipsis scriptoribus possunt esse profectae, neque ex incerta aut inconstanti codicum ratione explicari, sed manifesto excerptoris illius operam produnt, ipsius consilio consentaneam. Nec profecto, si Vincentium ex ipsius Ouidii carminibus hausisse statuamus, explicari possit qui factum sit ut plane ignotum Sapphus nomen illi esset, ut certe fuit: in Speculo enim Historiali omnes fere poetas Graecos enumerat, Sapphonem uero ne uerbo quidem commemorat [3]).

Quod attinet ad pretium iis Excerptis in epistulae recensione attribuendum, facile intellegimus id non ita magnum esse; non enim id egisse excerptorem apparet ut quam accuratissime traderet ueteris scriptoris uerba, sed mutasse uarios uersus ita ut proposito suo conuenirent [4]). Una tamen res in iis inuenitur momenti ad crisin factitandam quam maximi; etenim versum 32:

---

1) De Vincentii Bellouac. excerptis Tibull. Diss. inaug. Bonn. 1865. p. 14 sqq.
2) Diss. inaug. Gryphiswald. 1869.
3) Cf. Comparetti, l. l. p. 7.
4) Cf. Woelfflin, Philologi Tom. XXVII (1868) p. 156; Protzen, l. l. p. 45; M. Rothstein, de codd. Tibull. (Berol. 1880) p. 25 sqq.

Ingenio formae damna rependo meae

sequuntur:

Sum breuis, at nomen quod terras impleat omnes
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Hanc uersuum 33—34 formam praeter Excerpta nullus exhibet codex nisi uetustissimus Francofurtanus (saec. XIII); in reliquis omnibus legitur:

Nec me despicias, si sim [sum] tibi corpore parua
Mensuramque breuis nominis ipsa fero.

quod coniunctum uidemus cum prioribus in uno codice Harleiano 2499 (saec. XV) ita:

Nec me despicias, si sim tibi corpore parua
Mensuramque breuis nominis ipsa fero.
Sum breuis, at nomen quod terras impleat omnes
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Qua de re copiosius nobis erit disputandum in commentario ad eos uersus.

Cum igitur fuisse aetate iam ualde remota codicem quemdam carminum Ouidii, in quo Sapphus epistula inter Heroidum epistulas loco XV fuerit collocata, ex illis Excerptis appareat, iam mira illa conditio qua nobis est seruata epistula potest explicari. Intercidit nimirum casu quodam e communi omnium carminum exemplari et separatim sine scriptoris nomine circumferebatur: nonnulli opusculum, etsi dissolutum e contextu suo, Ouidianum agnouerunt; ignorantes uero ubi esset inserendum, uariis inter Ouidii opera locis adscripserunt; alii in errorem ducti uersu 3:

An nisi legisses *auctoris nomina Sapphus*

putabant scilicet ipsius Sapphus opusculum ante oculos se habere ideoque inter uaria uariorum scriptorum opera id collocarunt; alii denique de alio quodam poeta Latino — Tibullo maxime uel Propertio — cogitantes, data opportunitate horum carminibus poema nostrum addiderunt. Quod quomodo sit factum ut melius intel-

egatur, breuiter describendi erunt codices permulti qui hanc epistulam tradunt. Ad quod cum iam accingor praemonendum est me post Sedlmayeri egregia »Prolegomena critica ad Heroides Ouidianas", ne longus essem et acta agere uiderer, satius duxisse illos libros de quibus ille tam accurate egit, paucis tantum describere; copiosius paullo tractare eos quos ille, ut a proposito suo alienos, silentio praetermisit.

f) cod. Francofurtanus [1]) bibl. publ. membranaceus, saeculo XIII procul dubio haud recentior, continens opera et Ouidiana et Pseudo-Ouidiana omnia praeter Med. fac., Halieut., Epic. Drus. [2]). Sapphus epistula sine ulla inscriptione uel subscriptione in eo inuenitur Heroidum numero praemissa, scripta manu prima, ut recte affirmauit Riese contra Loersium, qui manu altera quamuis non multo recentiore eam additam esse contendit (in edit. Her. Ouid. p. 632). Collationem huius codicis qua est erga me beneuolentia mihi misit A. Riese V. C., praeceptor carissimus: qui quam accurate contulisset, nuper ipse Francofurti codicem excutiens grato animo uidi.

Idem esse hic codex uidetur ac liber, qui uulgo dicitur, *Naugerianus:* saepius enim Naugerius citat lectiones nobis ex uno *f.* codice notas. Minus tamen recte VV. DD. loqui solent de »libro Naugeriano"; nam contulit Naugerius non unum sed complures codices, ut ex ipsius uerbis patet, multasque profert lectiones, quae in *f.* non reperiuntur. Quae aduotauit ille in notissima Ouidii operum editione Aldina an. 1515—1516 (1533) desumpsi ex exemplari Lugduni in bibliotheca uniuers. adseruato, comparato cum Naugerii oper. omn. cur. Vulpiis (Patauii 1718) p. 144 sqq.

H) cod. Harleianus 2499, saec. XV, chartaceus, continet Sallustii, Boethii cet. opera et fol. 87—92 Sapph. epistulam,

1) Sedlmayer, Proll. p. 19.
2) Nux elegia manu alia saec. XIV—XV addita est.

cui praecedit praefatio qua confirmantnr quae supra diximus, epistulam, cum ex Heroidum numero excidisset, iam olim separatim sine scriptoris nomine esse circumlatam, haecce [1]): »Circa lesbie Saphos mitilene epistolam ad phaonem dilectum »suum scriptam. Magna extitit contencio quis hoc insigne opus »e greco in latinum transtulerit quamuis aduc in dubio id »uoluatur coniecturis tum ad id uentum est, quod ouidius sul»monensis is siet qui transtulerit. Eoque nihil iocundius eligi»biliusque extet carminibus elegiacis Ouidii quale etiam carmen »praesens noscatur esse. Itemque cum uicesimus [2]) uersus qui »erit huius operis idem reperiatur in libro Ouidii sine titulo, »item uersus qui infra habebuntur de turture idem apud Oui»dium sunt scripti, item in pluribus aliis uersibus ab Ouidio »scriptis uel assumptis ex hoc opere coniecturandum uidetur »ipsum hoc opus transtulisse." Titulus epistulae est: »*Lesbiae »Saphos Mitelene epistolam ad Phaonem suum scriptam lege »foeliciter*." In fine epistulae, post subscriptionem: »*Finis Epistole Saphos ad Phaonem scriptam*" (sic) scriptum est carmen Marci cuiusdam Siculi laudes Sapphus praedicans. Contulit hunc librum accurate meum in usum J. Kemke, amicus officiosissimus.

F) cod. Fuldensis n. 178. 4. C. 17, saec. XV exeuntis, chart., post Sallust. Catil. continet Sapph. ep. (fol. 117—122^{b}) inscriptam: »*Saphos Lesbie mitilenee epistola ad phaonem dilectum suum incipit feliciter*." Epistulam excipit, aeque atque in *H.*, carmen Marci Siculi de laude Sapphus. Collatio huius libri exstat apud Dronkium, Lectiones Cic., Sallust., Ouid. e codd. Fuldens. [3]), p. 30 sq.

g_4) cod. Guelferbytanus, ab Heinsio et Burmanno Scriuerianus uel chartaceus Scriuerii appellatus, scriptus an. 1456, continens Ouidii Amores, Heroides, Leonardi Aretini uersionem Latinam Phalaridis epistularum, Antonii Panormitani ad Lamo-

1) Scripta manu alia atque ea quae scripsit Sapph. ep.
2) Leg. „uicesimus primus" (cf. Am. II. 3. 13).
3) Progr. Gymn. Fuldens. 1849.

lam epistulam, cet. Inter Leon. Aretini opus et Ouid. Amores inserta est Sapph. ep., sic inscripta: »*Epistola saphos ad phaonem siculum amatum suum incipit.*" Contulit hunc librum, una cum g_5 et g_6, Heusinger, Heroidum Ouid. emendationes Guelpherbyt. ad Harlesium [1]), p. 9 sqq. cf. Sedlmayer, Proll. p. 16.

g_5) cod. Guelferbytanus = Gud. 318, membranaceus, scriptus iudice Heusingero (l. l. p. 7) saec. XIII, a Sedlmayero (Proll. p. 17) et Baehrensio [2]) saec. XV recte addictus, continet Ouidii Fastos et Amores, quibus adnexa est ep. Sapph. sic inscripta: *Sapho Vates Clarissima Ad Suum Phaonem.* Praecedunt disticha haec:

Tantum omnes nobis doctae tribuere puellae [3])
Quantum inter uates laudis [4]) Homerus habet.
Blandus amor docuit numerosque probauit Apollo;
Nomen erat Sappho, patria Lesbos erat.

g_6) cod. Guelferbytanus = Gud. 342, membran. saec. XV, continens carmen de pulice, Copam, Moretum, Camilli Romani carmen in obitum Car. Parthenopaei, epigrammata nonnulla et Sapph. ep. inscriptam: *Saphos poetissae ad Phaonem Siculum libellus feliciter incipit.* (Heusinger p. 7.)

g_7) cod. Guelferbytanus 82. 6. ms. Aug. membran., continens Tibulli carmina et (fol. 38b—42) Sapph. ep., sine ulla inscriptione uel subscriptione, scriptus, iudice Baehrensio (Praef. in Tibull. p. X), saec. XV; ut aliis uisum est, iam multo ante d tempus. Recte uero quin iudicarit Baehrens — quantum saltem attinet ad Sapph. ep. — mihi uarias eius libri lectiones percensenti dubium esse nequit.

Comiter excussit hunc librum meum in usum Franciscus Winter meus.

h) cod. Hamburgensis e bibliotheca Wolfiana, in Hambur-

1) In Lessingii „zur Geschichte und Litteratur. Aus den Schätzen der herzogl. Bibliothek zu Wolfenbüttel. Dritter Beitrag." (Brunsuig. 1774).

2) Rivista di Filologia. XIII. 1—2. 1884. p. 54.

3) *doctas*...*puellas* Sedlmayer citat', Proll. p. 17.

4) *laudes* Sedlmayer.

gensi bibl. nullo insignitus numero, chartac., saec. XV, diligenter meo rogatu collatus a J. Geffckio amico, continet Sallust. Catil., carmen de hortulo, de Baccho et Venere, alia, et (fol. 197—207) Sapph. ep. sine ulla inscriptione [1]).

p) cod. Parisinus 7989 (Tragurianus, cf. Buecheler ad Petron. p. XVI.), chartac. saec. XV, continet Tibulli, Propertii, Catulli carmina, Sapph. ep. (fol. 180—184) et fragmentum Petronii Tragurianum. Sapphus epistulae praefixus est titulus hic: *Saphos Lesbia uates ad Phaonem. ex graecis in latinas litteras uersa per Nasonem Sulmonensem ut ferunt nonnulli epistola aurea.* Subscriptio legitur haec: *Saphos Vatis Mitilenee epistola explicit.* Collationem huius libri et Parisini 7997 debeo amicitiae I. S. Hawesii phil. doct., Parisiis nuper degentis.

p_2) cod. Parisinus 7997, membran., saec. XV exeuntis uel XVI (Sedlmayer, Proll. p. 4), continens Ouidii Heroides, Amores, Ibin, Artem amandi, Remedia. Inter Ibin et A. A. legitur Sapph. ep., inscripta: *Sappho Phaoni*, subscripta: ΤΕΛΟϹ. Hunc librum Mazarineum C. Dilthey (de Callimachi Cydippa, p. 135) eundem esse putat ac Sarrauianum (*Sarr.*) Heinsii. Heinsius tamen in praefatione ad Sapph. ep. inter Sarrauianum et Mazarineum diserte distinguit, saepiusque lectiones quas ex iis attulit, discrepant a p_2. Aut igitur summae in adnotandis uariis lectionibus neglegentiae foret arguendus Heinsius, aut, quod ego praetulerim, diuersos utique esse illos codices statuamus necesse est. Fortasse Mazarineus Heinsii est cod. Paris. 8244 saec. XV, quem inspicere mihi non contigit.

γ) cod. Gothanus [2]) Ch. A. n. 717, chartac., an. 1476, inter Horatii A. P. et recentiorum poetarum carmina uaria continet fol. 18 sqq. Sapph. ep. inscriptam: *Sapho Lesbia Mitilena ad Phaonem dilectum suum*, subscriptam: *Finit foeliciter.* Fol.

---

1) Primi tamen epistulae uersus erant scripti iam fol. 195, ibique ad Ouidium relati, ut per litteras me docuit I. Geffcke.

2) Cf. Jacobs und Ukert, Beitraege zur aelt. Litteratur, aus der Bibliothek in Gotha. I. p. 239; 249 sq.

69 adscriptus est Georgii Merulae Alex. commentarius ad uss. 1—115. Hunc librum una cum cod. Gothano Ch. B. 1047 a Pertschio, illustrissimo Gothanae bibliothecae praefecto, humanissime Bonnam ad me missum, ut in bibliotheca uniuersitatis Bonnensis excuterem benigne permisit C. Schaarschmidt V. C.

χ) cod. Gothanus Ch. B. 1047, chartac., saec. XV, continens Tibulli elegos, Ouidii A. A. II. 115—120; III. 59—66, carmina quaedam ex Anthol. Lat., uaria uariorum recentioris aeui poetarum carmina [1]) et (fol. 58^b sqq.) Sapph. ep. inscriptam: *Saphos mitilenee poetisse preclare ad Phaonem siculum amatorem suum epistola feliciter incipit.* Subscriptio non legitur. Contuli ipse.

v_8) cod. Vindobonensis 3111; Endl. CXLVIII, chartac., saec. XV (Sedlmayer, Proll. p. 12), continens uaria uariorum scriptorum opera, inter quae Ouidii A A., Rem. am., Fast.; indicem in Fastos a Joh. Cuspiniano confectum: inter quem indicem et Petri Boponis carmina, quae ultimum obtinent locum, inserta est Sapph. ep., inscripta: *Sapho uates clarissima ad Phaonem Siculum eius amatorem*, subscripta: *Finis Saphus Ouidii.* Collationem huius libri, ita ut et eorum, quos infra describam, v_9. c_1. *n*. *ρ*. debeo insigni erga me beneuolentiae Sedlmayeri V. C.

v_9) cod. Vindobonensis 3160, partim membran., partim chartac., saec. XV (Sedlmayer, Proll. p. 12), continens uaria opera quinquaginta tria; inter Seruii in Verg. comment. fragm. et epistulam Ioan. Pegoloti ad Dominicum Cardinalem de schismate scripta est Sapph. ep. sine ullo titulo. Subscriptum ei est: *Explicit epistola Saphos poetisse mutilene.*

c_1) cod. Cremifanensis 329, chartac., saec. XV (Sedlmayer, Proll. p. 22), continens uaria recentiorum opera, tractatus Aeneae Siluii tantum non omnes, et fol. 179^b—204^b Ouidii Heroides, quas excipit Sapph. ep. sic inscripta: *Sappho uates clarissima ad Phaonem siculum eius amatorem.* Subscriptio non legitur.

k) cod. in Musei Brittannici collectione Sloaniana n. 777,

1) Cf. Jacobs-Ukert, l. l. I. p. 250; 269. III. p. 43 sqq.

membran., saec. XV, continens [1]) uaria uariorum carmina, L. Calpurnii Bucolica, Aetnam poema, Ouidii Ibin, de med. fac.; Pulicem, Nucem, cet. et fol. 83 sqq. ep. Sapph. inscriptam *SAPPHO*. Subscriptio non legitur. Contulit hunc librum meo rogatu officiosissime I. Kemke meus:

i) cod. Berolinensis, ms. Diez. 29, chartac., saec. XV, continens Ouidii Heroides, Fastos, Remedia am.; Pulicem et fol. 245—250 Sapph. ep. sine ullo titulo; subscriptum uero est: *epithaphium*:

Tantum ego carminibus superaui Sapho puellas
Meonides quantum uicerat ante uiros.

Inuenit hunc librum excussitque meum in usum beneuole Alfredus Gercke amicus.

a) cod. Laurentianus, plut. 34. c. 26, membran., saec. XV, continens Iuuenalis et Persii satiras et fol. 92^b sqq. Sapph. ep. sine titulo uel subscriptione. Collationem huius libri, sicut reliquorum quos infra enumerabo codicum Laurentianorum, Magliabec., Riccardian. omnium, singulari cum beneuolentia intercedente Dominico Comparettio V. C., officiosissime mihi confecit Rostagno Florentinus, V. D.

C) cod. Laurentianus, plut. 36. c. 23, membran., saec. XV, cont. Ouidii Fastos, Catulli carmina et fol. 137^b sqq. Sapph. ep. sic inscriptam: *Sapho uates clarissima ad Phaonem siculum amatorem suum.*

D) cod. Laurentianus, plut. 38. c. 38, chartac., saec. XV, cont. Tibulli elegos, uaria recentiorum opera et fol. 41 sqq. Sapph. ep. inscriptam: *Sapphos Lesbie clarissime uatis Epistola incipit ad Phaontem.*

l_1) cod. Laurentianus, plut. 36. c. 21, membran., saec XV, cont. Ouidii Fastos, uaria, et fol. 114 sqq. Sapph. ep. inscriptam: *Sapho Phaoni. P. Ouidii Nasonis Saphus epistola.*

l_2) cod. Laurentianus, plut. 91. c. 26 [1]), chartac., saec. XV, cont. Ouidii A. A., Rem., de med. fac.; praecedit in iocis Galli

1) Accurate descripsit eum librum A. Kunz, de Ouidii med. fac. p. 19, ubi tamen per errorem numerus codicis dicitur 277.

poetae poematium et (fol. 1 sqq.) Sapph. ep. inscripta: *Sappho uates Lesbida ad Phaonem siculum.*

l_3) cod. Laurentianus, plut. 39. c. 25, membran., saec. XV, cont. post alia quaedam (?) fol. 63 sqq. Sapph. ep. inscriptam: *Saphos uatis egregie pelasgide lesbie mitilene epistola ad phaonem ciciliensem amatorem suum incipit foeliciter.*

l_4) cod. Laurentianus, plut. 90. c. 60, membran., saec. XV, cont. L. Arretini opera uaria et fol. 81 sqq. Sapph. ep. sine titulo, subscriptam autem ita: *ex poematibus Saphos poetisse mitilenee ad pahon dilectum suum.*

l_5) cod. Laurentianus, plut. 91. c. 28, chartac., saec. XV, cont. Ouidii et Tibulli carmina, quae excipit fol. 137 ep. Saphus us. 1—25, sine titulo.

l_6) cod. Laurentianus Ashburn. 845, membran., saec. XV, cont. Vergilii Buc. et Georg. et fol. 61 sqq. Sapph. ep. inscriptam ut in l_3, subscriptam: *Explicit epistola Saphos missa ad phaonem ciciliensem amatorem suum.*

l_7) cod. Magliabec. 6. 205., chartac., saec., ut uidetur, XVI, miscellaneus, cont. fol. 60 sqq. Sapph. ep. sine titulo, subscriptam: *finis epistolae poete Saphus τελοσ.*

n) cod. Magliabec. 1. 40, chartac., saec. XV ex., miscell. fol. 6 sqq. Sapph. ep. inscr. *Saphos.*

n_1) cod. Magliabec. 6. 198, chartac., saec. XV ex., miscell. fol. 97 sqq.[1] Sapph. ep., subscr.: *explicit liber Saphos pelasgide amen τέλος.*

q) cod. Magliabec. 8. 1445, chartac., saec. XV, miscell. fol. 295[b] sqq. Sapph. ep. inscr. *Epistola Saphos poetissa mitilena ad phaonem amantem suum.*

r) cod. Riccardianus 737, membran., saec. XV, cont. Ouidii Heroides, quas excipiunt Sapph. ep. uss. 1—36 (uss. 31—36 man. rec.).

r_1) cod. Riccardianus 977, membran., saec. XV, miscell. cont. fol. 4[b] sqq. Sapph. ep. inscr.: *Saphos poetisse clarissime in Phaonem amasium suum elegia foeliciter incipit.*

1) Cf. Kunz, de Ouid. med. fac. p. 17.

u) cod. Urbinas n. 347, membran., saec. XV, continens [1]) Ouidii Metam., Her., Amores, A. A., Rem., Fastos, Tristia, epp. ex Ponto, de med. fac.; Pseudo-Ouidii Philomenam (sic), Nucem. Inter Her. et Amores scripta est (fol. 188 sqq.) Sapph. ep., sine ulla inscriptione uel subscriptione. Accuratam huius libri collationem, benigne intercedente Dominico Comparettio V. C., debeo beneuolentiae uiri doctissimi Uronaci Romani.

o) cod. Budapestinensis 99, chartac., saec. XV, continens Tibulli elegos, Persii Satiras, Ausonii idyll.; Moretum, uaria recentiorum opera. Inter Pers. et Auson. inserta est (fol. 54—59) Sapph. ep. sine ulla inscriptione uel subscriptione. Hic liber ut Leidam mitteretur ibique in bibliotheca uniuers. excuti posset, solita liberalitate curauit W. N. du Rieu V. D.

β) cod. Bernensis 527, chartac., saec. XV, continens Tibulli carm., Ciceronis opp. uaria, Claudiani et recentiorum opera quaedam, Excerpta ex Ouidii, Propertii, cet. carminibus, et (fol. 3—7) Sapph. ep. inscriptam: *Saphos uatis egregie pelasgide lesbisde mitilene epistola ad phaonem siciliensem amatorem incipit feliciter*, subscriptam: *Vale. Saphos pelasgide cet* . . . . . *explicit.* Is liber, humanissime intercedente W. N. du Rieu V. D., Leidam ad me missus est.

m) cod. Monacensis 1730 [18910. Teg. 910] chartac., saec. XV, cont. Auiani fab., Horatii A. P., Terentii Andriam, Eunuchum, Verg. Buc., recentiorum poetarum quaedam et fol. 214—218 Sapph. ep. inscriptam: [*O*]*uidius Sulmonensis in Sapho.* Hunc codicem, una cum Monac. m_1. m_2. m_3. m_4., a Laubmanno V. C., bibliothecae Monac. praefecto illustrissimo, meo rogatu liberaliter Bonnam missum, ut ibi in bibliotheca uniuers. tractarem benigne permisit C. Schaarschmidt V. C.

m_1) cod. Monacensis 869 [23710. ZZ. 710] chartac. saec. XV, ante Phil. Beroaldi carmen ad Ann. Bentiuolum cet. continet fol. 1—4 Sapph. ep. inscriptam: *Ouidius in Sappho.* Contuli ipse.

m_2) cod. Monacensis 10719 [Pal. 719] chartac., an. 1453,

1) cf. Kunz, l. l. p. 16.

continens Verg. Aen., C. Arretini carmen ad Kiriacum Anconitanum et (fol. 202b—205) Sapph. ep. inscriptam: *Saphos poema clarissimum ad Phaontem Siculum amasium suum foeliciter incipit.* Contuli ipse.

m_3) cod. Monacensis 78, chartac., saec. XV, cont. opuscula uariorum inprimis Italorum poetica et oratoria uaria, Ciceronis pro Archia orat. et (fol. 161b—164) Sapph. ep. inscriptam: *Saphos uatis egregiae pelasgidae mitilenae epistola ad phaonem siciliensem amatorem suum lege omnino*, subscriptam: *Finis. Saphos poetissa uale.* Contuli ipse.

m_4) cod. Monacensis 466, chartac., saec. XV, cont. uaria recentiorum opp., Ouidii de med. fac., Ps.-Ouid. de cuculo, nucem, Ciceronis et Luciani quaedam et (fol. 91—93) Sapph. ep. inscriptam ut in m_3, additis: *Carmen Sapphicum. Sapho Lesbias poetissa phaoni siculo amatori suo*, subscr. *Sapho Lesbias. Finis Saphos poetissa Vale.* Contuli ipse. [1])

Collatione praeterea usus sum: Ciofanii codicis Maffei (*M*), exstante in Ciofan. Obseruat. in Ouid. opp. (Antwerpiae, 1583); I. Chr. Jahni codicum Seidleriani (*f*), de quo cf. Sedlmayer, Proll. p. 24; Zwiccauiensis (*z*), Merani (*Mer.*); Heinsii Burmannique codicum Wittiani siue Douzani (*w.*), Mediceorum (*Med.*), Arondeliani [2]) (*A.*), Lincolniensis (*L.*), Regiorum (*Reg.*), Bodleiani (*B.*), Palatini (*P.*), Farnesiani (*Farn.*), Oxoniensis (*Oxon.*), de quibus egit J. Chr. Jahn in edit. Ouid. II praef. in Met. p. XIV sqq. Cum tamen de externa eorum ratione admodum pauca sint tradita, nec collati sint ii omnibus locis accurate, fieri potest ut unus uel alter eorum iam supra sit nominatus: ueluti *Reg.* et *Sarr.* consentiunt saepius cum Parisinis a nobis citatis; est tamen ubi discrepent grauiter. Certi uero quicquam

1) Codd. Monac. 1466 [14486. Em. E. 109] saec. XV, et 504, saec. XV, quorum hic inter uaria recentiorum opera, ille inter Tibulli carmina et Ouidii Amores continet Sapph. ep., inspicere mihi non contigit. Et alios nonnullos conferre non potui: Paris. 8244 et 8206 saec. XV, cod. Montanum (?), Chisianum H. IV. 121.

2) Hunc librum hodie non exstare in bibliotheca Arondeliana docuit me I Kemke.

affirmari, etiam post diligentes Merkelii inquisitiones (in Fastorum et Tristium edit. mai.) nequit. De codd. tamen Bodl., Linculn., Meran., Palat. accuratius nunc potest iudicari quam adhuc est factum, cum A. Gercke meus Berolini in bibliotheca regia inuenerit meumque in usum comiter descripserit ipsius Heinsii illorum codd. collationes, scriptas in margine exemplaris edit. Ouid. Elzeuir. 1629 (Diez. Q. 1068) sub litteris deinceps **A**, **B**, **F**, **G**.

In citandis autem illis Heinsii codicibus, qui non nominatim ab eo laudantur, praeeunte Kornio (in edit. Ouid. epp. ex Ponto) utar compendiis hisce:

ψ = nonnulli codd. ab Heinsio sine nomine laudati.

ω = plurimi uel omnes codd. Heinsii, quorum nomina nesciuntur.

Accedunt his codicibus editiones Ouidianae principes rarissimae:

B_1) editio Ouid. princ. Bononiensis an. 1471, de qua copiose egit A. Kunz, de Ouid. med. fac. p. 21; 32 sq. In ea editione Sapph. ep. sine ulla inscriptione uel subscriptione Heroidum numero est postposita. Exemplar huius editionis quae adseruatur Londinii in Museo Brittannico (*Greenville Collection n.* 10035—6) officiose meum in usum descripsit I. Kemke.

ρ) editio Ouid. princ. Romana an. 1471, de qua cf. Sedlmayer, (Proll. p. 25—27), cui accuratam huius partis libri collationem debeo. Sapph. ep. in ea est inter epistulas ex Ponto et Fastos inserta, cum titulo: *Sappho uates clarissima ad Phaonem siculum eius amatorem.*

Praeter B_1 et ρ, editiones princ., alias quoque editiones ueteres conferre studui complures; de quarum tamen externa ratione et mutua inter se necessitudine ea, quae iam alii — Sedlmayer maxime (Proll. p. 27—31) et Kunz (l. l. p. 21 sqq.) — dixerunt, hîc repetere uidetur superuacaneum. Citabo autem ex iis nonnisi eas lectiones, quae aliunde cognitae non sunt.

Librorum quos supra enumeraui omnium duo potissimum sunt distinguenda genera, quorum alterum continet libros poetae

manum seruantes plus minusue integram, alterum illos, qui recentioris aeui doctorum studiis temere sunt mutati et interpolati, ita ut quae singulorum sunt propria non pluris sint aestimanda quam coniecturae ab illis librariis prolatae; nonnullis tamen locis ad iuste constituendum epistulae contextum aliquid saltem conferunt.

Priori autem generi adscribendus est uetustissimus ille *f* (»*liber Naugerianus*") [1], qui — etsi et ipse aliquot locis inique a librariis tractatus [2]) — singularem utique tenet locum, a reliquis recte saepius discrepans, multasque nobis tradit bonas lectiones quas alibi frustra quaeras; ueluti unus exhibet us. 162:

Constitit ante oculos Naias una meos,

quod in reliquis — cum in communi exemplari excidisset, nimirum propter idem us. insequentis initium — inepte mutatum uidemus in:

Formosus puer est uisus adesse mihi.

Sic unus *f.* us. 15 habet recte:

Nec me Pyrrhiades Methymniadesue cet.:

in reliquis de Musis Nymphisque nescio quid ridiculi est excogitatum. Ita et us. 17 *Anactoria* nomen, quod et Suidas et Maximus Tyrius [3]) confirmant, in uno *f.* recte traditur; us. 84 pro *dedit* in illo bene *facit*, us. 19 *non* pro *hic*, 201 *amatae* pro *amare*, et sic frequenter, ut suis locis in commentario ostendam.

Tamquam medium inter *f.* et reliquos, de quibus dixi, libros locum obtinet *H.*, qui quamquam interpolationibus illis supra indicatis haud immunis, eminet tamen bonitate exhibetque sanas lectiones complures, ita ut saepius in usum sit uocandus. Maxime uero memorabile est quod in eo, ut iam supra dixi, et *f.* codicis Excerptorumque Paris. et reliquorum librorum uer-

1) Cf. pag. 6.

2) Quamquam nimis seuere de ea re iudicasse mihi uidetur Baehrens (in „Rivista di Filologia" XIII. 1—2. 1884. p. 51), ut in commentario ad singulos uersus euincere me posse spero.

3) Cf. comment. ad us. 17.

suum 33—34 formae leguntur coniunctae (33ª. 34ª. 33. 34), quod mirandum est non inueniri in *F*, ceteris in rebus *H*(*arleiano*) quam simillimo. Quantopere enim, duplicem illam uss. 33—34 formam si exceperis, concordent inter se *H.* et *F.*, ita ut ad commune aliquod exemplar eos esse referendos appareat, docent lectiones quales sunt e. g.:

Vs. 33ª sum] sim *H. F.* [g_7. γ. χ. β.]
Vs. 35 sum] sim *H. F.* [g_4. χ.]
Vs. 89 conspiciat — conspicit] conspicias — conspicis *H. F.* [g_4. m_3.]
Vs. 122 lacero] lacera *H. F.* [*m.*]
Vs. 139 Erichtho] eritho *H. F.* [l_6. *u.*]
Vs. 159 lotos] lothus *H. F.*
Vs. 168 illaeso pectore] in liquidas pondere *H. F.*
Vs. 169 tetigit] figit *H. F.*
Vs. 199 nupturae nuptaque cet.] nuptae nupturaque *H. F.*
Vss. 211—212 omittunt *H. F.* [g_4.]

Denique et in *H.* et in *F.* additum est illud Marci Siculi de laude Sapphus carmen.

Libros deteriores, h. e. quos supra enumeraui praeter *f. H. F.* omnes, si paullo accuratius percensemus, tantam inter sese habere necessitudinem uidemus ut quin e communi quodam exemplari, et ipso iam ualde corrupto, olim sint descripti dubium esse nequeat. Docent id praecipue lectiones iis cunctis communes, ut us. 153 *prius*, 169 *tetigit*, 219 *O*, cet., interpolati uss. 15, 162, cet., omissi uss. 33—34, scripti 33ª—34ª, cet. Longius uero procedente doctorum librariorum corrigendi uel potius mutandi libidine, uariae uariis locis sunt intrusae lectiones, quae pluris non sunt aestimandae quam quaeuis coniectura a nescio quo prolata. Certa autem inde habemus indicia quomodo singuli eorum ll. arctius inter se cohaereant, discrepent nonnusquam a ceteris. Sic coniunctos inter se esse quam maxime *a.* n_1. *q.* [m_2] ostendunt e. g.:

Vs. 13 iungam] subeunt *a*. n_1. *q*. m_2.
Vss. 9—10 post us. 12 in *a*. n_1. *q*. m_2, [l_3.]
Vs. 39 poterit] potuit *a*. n_1. *q*.
Vs. 81 dixere] posuere *a*. n_1. *q*. m_2. [l_3. *i*. *D*.]
Vs. 85 Quid] Cui *a*. n_1. *q*. m_2. [l_3. l_6.]
Vs. 98 Aspice] Respice *a*. n_1. *q*. m_2.
Vs. 127 nostra] uideor *a*. n_1. *q*. [l_3. l_6.]
Vs. 147 cognoui] agnoui *a*. n_1. *q*. [*f*.]
noti mihi caespitis] uestigia corporis *a*. n_1. *q*. m_2. [l_3. *i*.]
Vs. 210 Hoc saltem] O utinam *a*. n_1. *q*. m_2.

Arctam item intercedere necessitudinem inter χ et β apparet e lectionibus hisce:

Vs. 20 habes] abest χ. β.
Vs. 59 peragit] peragat χ. β,
Vs. 100 Lesbi] Lesbia χ. β.
Vs 142 erant] habent χ. β.
Vs. 161 lassos] lapsos χ. β. [l_4. m_3.]
Vs. 166 Actaeum] Nutheum χ. β.
Vs. 171 locus] latus χ. β.
Vs. 177 subito] subibo χ. β. [*n*.]
Vs. 179 quoque] modo χ. β.
Vs. 182 sub ea] suberit χ. β.

Item inter l_3 et l_6 docent lectiones:

Vs. 27 Pegasides] peghasides l_3. l_6.
Vs. 89 Phoebe] phebes l_3. l_6.
Vs. 118 itque reditque] redit atque l_3. l_6.
Vs. 123 mihi] mihi es l_3. l_6.
Vs. 134 Et] Ut l_3. l_6.
Vs. 144 Praebuit] Praecubuit l_3. l_6.
Vs. 159 lotos] lathos l_3. l_6.
Vs. 161 lassos] fexos l_3. l_6.
Vs. 169 Pyrrhae] prece l_3. l_6.
Vs. 170 Deucalion] deugalion (c supra g) l_3. l_6.

Vs. 172 saxo] sexo l_3. l_6.
Vs. 177 aura] aurea l_3. l_6.
Vs. 189 o] a l_3. l_6.
Vss. 13—14 omittunt l_3. l_6.

B_1. totum esse ductum ex *u*. iam demonstrauit Kunz, l. l. p. 33; quod attinet ad Sapph. ep. confirmant id lectiones in utroque eaedem fere omnes, quas tamen enumerare supersedeo.

Difficilior paullo est quaestio de necessitudine inter c_1. et ρ intercedente. Etenim cum recte uiderit Sedlmayer (Proll. p. 93) c_1, nullas omnino correcturas, nullas glossas, nullas lectiones uarias exhibentem, editionis ueteris cuiusdam esse apographum[1]), in incerto tamen est quae fuerit illa editio: eam fuisse ed. princ. Bononiensem (B_1) suspicatur, Romanam (ρ) fuisse negat. B_1 uero tam frequenter a c_1 discrepat, ut alter ex altero descriptus esse nullo modo possit. Neque aliam inuenimus ueterem editionem quae plane conueniat cum c_1, nisi ipsam ed. princ. Romanam, quae quatenus in Ouidii operibus indubitate genuinis concordet cum c_1, disquirere non huius est loci; quantum uero attinet ad Sapph. ep. tot et tantas cum c_1 habet similitudines, ut reuera illam fuisse eius codicis exemplar appareat. Quod confirmatur etiam hac re, quod, ut obseruat Sedlmayer l. l., ρ sola editio ad alterum codicum genus ac reliquae editiones est referenda. Quantopere autem conspirent c_1 et ρ doceant exempla haecce:

Vs. 39 poterit] poterat c_1. ρ.
Vs. 68 Hoc-hoc] Hec-hec c_1. ρ. [m_4.]
Vs. 69 desint] desinit c_1. ρ. [v_3. l_1.]
fatigent] fatigat c_1. ρ. [v_9.]
Vs. 86 Abstulit] Sustulit c_1. ρ.
Vs. 90 erit] erat c_1. ρ. [v_9.]
Vs. 91 Hunc] Huc c_1. ρ.

1) Alia quoque in c_1 inueniuntur opera ex editionibus ante an. 1479 descripta cf. Sedlmayer, Proll. p. 93.

Vs. 93 O nec adhuc] Nec iam c_1. ρ.
Vs. 97 et] ut c_1. ρ. lacrimis] lacrimas c_1. ρ.
Vs. 113 inuenit] minuit c_1. ρ.
Vs. 116 Portet] Portat c_1. ρ. [*F.*]
Vs. 127 onerare] ornare c_1. ρ.
Vs. 137 antraque] utraque c_1. ρ.
Vs. 151 Quin etiam] Cum eciam c_1. ρ.
Vs. 157 Est] Et c_1. ρ.
Vs. 159 lotos] loto c_1. ρ.
Vs. 177 aura] arua c_1. ρ.

Haec uero hactenus. Nam etsi longius etiam licet procedere, facilique negotio aliae quoque necessitudines inter singulos deterioris illius generis libros possunt ostendi, nihil id ad recte constituendum epistulae contextum confert, cum, ut iam supra dixi, omnes illos libros a librariis data opera recensitos ex uno communique exemplari olim descriptos esse constet, nec quae postea demum singulis sint illata disquirere magni sit momenti. Ubi igitur plerique aut multi saltem eius generis libri consentiunt, hoc indicabo per ς compendium. Unum tamen excipiam g_7, quippe qui, quamquam inter ceteros bonitate minime eminet, dignus tamen sit qui nominatim afferatur, propterea quod bonum inuenit correctorem, qui usus sine dubio codice quodam antiquo et integro, multa feliciter emendauit.

In apparatu critico adscripsi cum aliorum uirorum doctorum coniecturas, tum Bentleii notas marginales, partim eruditis nondum satis cognitas. Petiui eas e *Classical Journal* 1819. *n.* 37—38, auctas iis quas beneuole meum in usum descripsit Sedlmayer V. C. ex Ouidii editione Oxoniensi 1825—26, Tom. V.

SAPPHO PHAONI.

Ecquid, ut aspecta est studiosae littera dextrae,
Protinus est oculis cognita nostra tuis?
An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breue nescires unde mouetur opus?
Forsitan et quare mea sint alterna requiras
Carmina, cum lyricis sim magis apta modis.
Flendus amor meus est. elegi † flebile carmen:
Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.

Inscriptiones: Sapho Phaoni. P. Ouidii Nasonis Saphus epistola. l_1. Lesbiae Saphos Mitilene epistolam ad Phaonem suum scriptam lege foeliciter. *H.* Saphos Lesbia Vates ad Phaonem. ex graecis in latinas litteras uersa per Nasonem Sulmonensem ut ferunt nonnulli epistula aurea. *p.* [O] uidius Sulmonensis in Sapho. *m.* Ouidius in Sappho. m_1. Sappho uates clarissima ad Phaonem Siculum eius amatorem. v_8. c_1. *ρ*. Sappho Phaoni. p_2. Sappho. *k.* Saphos. *n. ceteri:* Saphos uatis egregie pelasgide mitilene epistula ad Phaonem siciliensem amatorem suum foeliciter incipit. *uel:* Saphos Lesbie mitilenee epistola ad phaonem dilectum suum incipit foeliciter. *uel:* Saphos poetissae ad Phaonem Siculum libellus feliciter incipit. *Inscriptiones non leguntur in f.* g_7. v_9. *i. a.* l_4. l_5. l_7. n_1 *r. o*, *sed subscr.* v_8: Finis Saphus Ouidii.

1. Ecquid ut *f.* ubi g_7. *h. p.* Nunquid ut *H.* Hacquid ubi v_9. Numquid ubi *ς*. inspecta *M.* est *om.* g_6. studiosa *β*. lictera *n.* n_1. l_3. — **2.** Protenus g_4. — **3.** Ante nisi c_1. legissem *F.* autoris *γ*. c_1. *suprascr. man.* 2 *in* g_7. nomine *β*. saphus v_8. l_1. *r. p. β. u. ρ.* saphous *o.* sapphos *γ*. g_4. *D.* saphos *f. H. F.* g_7. *ς*. — **4.** breue] bene m_4. mouetur] ueniret *f. Sarr.* nominetur *m* (*cum glossa:* ueniret). moueret *nonnullae edit. ante Burmann.* — **5.** Forsitam v_9. requiras *f.* v_8. *Med.* requires *H. F.* g_7. *ς*. requiris *ς*. — **6.** quo v_9. sint *f.* m_2. sum g_4. *p.* — **7.** elegia v_8. *f.* l_1. *m.* elegeia m_1. *M.* elegique *h.* elegi quoque *f. p.* elegiaque *uar. lectio apud Bad. Ascensium.* elegi sunt fl. *Baehrens. Conieci:* flendus amor meus est elegis: hoc flebile c. — **8.** barbitus *k.* l_2. c_1. *ρ.* barbytos *r.* barbithos *p.* barbitos (n suprascr.) g_7. barbithon *n.* barbyton *u.* B_1. barbiton *H. F. ς.* illa *Naug.*

Uror ut indomitis ignem exercentibus Euris
  Fertilis accensis messibus ardet ager.
Arua Phaon celebrat diuersa Typhoidos Aetnae:
  Me calor Aetnaeo non minor igne tenet.
Nec mihi dispositis iungam quae carmina neruis
  Proueniunt: uacuae carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades Methymniadesue puellae,
  Nec me Lesbiadum cetera turba iuuant.
Vilis Anactorie, uilis mihi candida Cydno,
  Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis,
Atque aliae centum, quas non sine crimine amaui.
  Improbe, multarum quod fuit, unus habes.
Est in te facies, sunt apti lusibus anni:
  O facies oculis insidiosa meis!
Sume fidem et pharetram: fies manifestus Apollo;

Testimonium ad us. 18. *Marius Plotius* [*M. Claudius*] *Sacerdos p.* 481. *VI. Keil:* »*this* tertiae declinationis *this* uel *dis* facit genetiuo, haec Atthis, huius Atthis, uel Atthidis: sic Ouidius." (= *Probus cathol. p.* 30. *IV. Keil*). *cf. quae exposui in disp. crit. huic opusculo adiecta.*

9. ut] et χ. *n.* ignem ut exerc. ρ. — **10.** accessis *m.* accensus v_2. β. messibus] fertilis m_2. urget *u.* eger *m.* *Vss.* 9—10 *post us.* 12 *sunt in a.* l_3. n_1. *q.* m_2. *L.* — **11.** celebret g_4. celebras *Bentley.* diuersi m_2. Thyphoydos *H.* Tiph°eidos g_7. Tiphoydos *uel* Thipheidos ς. ethne *f. H.* ς. aethnae *u. r.* r_1. ethen l_2. — **12.** ethneo *f. H.* ς tenet igne *m.* igne coquit *V. Heins.* premit l_4. — **13.** Hec *o.* mihi *om.* v_2. dispositi c_1. iungam] subeunt *a.* n_1. *q.* m_2. quae iungam *f. p.* quae] qui χ. per g_6. *Vss.* 13—14 *desunt in* l_2. l_6 (*adscr. man. rec.*). — **15.** Non m_2. pyrriades methynniadesue puella *f.* me piyerides subeunt naiadesque *H.* mihi pierides [ie *in rasura*] subeunt driadesque g_7. mihi [me *k. a.* n_1. *q.*] pierides subeunt [subsunt *a.* n_1. *q.* suberunt *m.*] naiadesque *uel* driadesque ς. naruasque β. meliaeque *Parrhas. e uet. cod.* mihi pyrino subeunt mnaisue [mnalaeue *ed. Ven.* 1558] *Egnat. ed. Ven.* 1558. pyrino *Micyll. Bersm.* — **16.** Hec *o.* Et nec *m.* mihi v_2. *m.* m_2. m_3. thespiadum g_7. ς. tesbiadum v_2. Lesiadum *Egnatius.* iuuant *f.* p_2. *o.* l_2. l_3. iuuat *reliqui.* — **17.** Anactorie *f.* Amatorie *H. F.* ς. Amintorie g_7. *h. r. u.* Amithone l_1. p_2. *m.* m_1. et yranie l_7. c_1. *i.* Cidno γ. *k. D.* l_2. *p.* m_1. Cydro *f. H. F.* ς. Clio l_7. c_1. g_6. g_7 (Cidno *adscr. man.* 2 *in* g_7). Cidnolle *m.* Cidrio v_2. Cadro β. Sydro g_4. Cathno *uel* Credo *codd. all.?* uilis mihi crede Gyrinno *Bentley.* — **18.** Atthys *f.* Athis *r. u.* B_1. Atthis ut: this ut *in rasura man.* 2 *adscr.* g_7. Athoys *H.* ς. Athois *F.* ς. Anthois g_4. l_2. Athais *p.* v_2. l_7. m_2. m_4. Atthois *o.* ut *om. H. F.* ς. Athois ipsa meis *k.* p_2. meis [ihi] *D* (*corr. man.* 1). — **19.** non *f. h.* iam *p. om. m.* hic *reliqui.* nec *Burmann. Bentley.* cinue *f.* amara *m.* — **20.** Im°probe g_7. unus abest χ. β. unus] uenus l_5. — **21.** in] mihi v_2. acti *i.* luxibus v_2. — **22.** insidiata l_3. — **23.** Summe

Accedant capiti cornua: Bacchus eris.
Et Phoebus Daphnen, et Gnosida Bacchus amauit,
Nec norat lyricos illa uel illa modos.
At mihi Pegasides blandissima carmina dictant:
Iam canitur toto nomen in orbe meum.
Nec plus Alcaeus, consors patriaeque lyraeque,
Laudis habet, quamuis grandius ille sonet.
Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formae damna rependo meae.
Nec me despicias, si sim tibi corpore parua 33a
Mensuramque breuis nominis ipsa fero. 34a
Sum breuis, at nomen, quod terras impleat omnes, 33
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero. 34
Candida si non sum, placuit Cepheïa Perseo
Andromede, patriae fusca colore suae.
Et uariis albae iunguntur saepe columbae,
Et niger a uiridi turtur amatur aue.
Si, nisi quae facie poterit te digna uideri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est!

v_8. l_2. l_4. *r*. r_1. n_1. phidem l_3. l_6. lyram c_1. pharetras g_4. *f*. pharethram *u*. faretram l_5. fias *ed. Ven.* 1558. et eris g_4. — **24** Acedant l_5. bachus *f*. *H*. *ς*. oris v_9. — **25.** Et] Sic *o*. dannen *n*. l_2. *p*. danem l_2. damnen *ς*. gnossida p_2. v_9. gnosidam l_7. gnoscida l_3. gnosia n_1. *β*. bachus *f*. *H*. *ς*. — **26.** Hec *o*. nouit *P*. notat n_1. norant *Heinsius*. uel] nec *β*. ut *h*. *m*. ille uel ille l_3. modus *h*. — **27.** Sic m_4. Et *L*. begasides *m*. paegasides p_2. phegasides *n*. peghasides l_2. l_6. — **28.** Et p_2. orbe n_1. — **29.** Ne *m*. patriaeque] proprieque l_4. — **30.** ipse c_1. illo *o*. sonat *h*. *γ*. *β*. g_5. *Reg*. tonet *Burmann. Sec. ad Prop. III.* 15. 40. — **32.** demna *n*. repende *Bentley*, *Bodenstein*. repende meo *Baehrens*. mea *f*. malae *Burmann. Vss.* 33a—34. *duo haec disticha exhibet unus H. uss.* 33a—34a *omittit f.* (*et uss.* 33—34 *statim post* 32 *sunt in codd. exc. Paris.* 7647 *et* 17903). *Omnes ll. praeter H. et f. habent* 33a—34a, *omittunt* 33—34. — **33a.** Si] quia *L*. sim *H*. *F*. g_7. *γ*. *χ*. *β*. sum *reliqui*. tibi] ubi *ed. Ven.* 1558. tam *P*. *L*. paruo *P*. *L*. — **34a.** mensuram *p*. v_9. *o*. breui l_4. parui *p*. gero g_4. feram *Baehrens*. — **33.** Sim *Bentley*. — **35.** sim *H*. *F*. g_4. *χ*. ce^{h}peia *f* (h *suprascr. man.* 2). cephoia l_3. Perso *χ*. Pe^{r}seo *n*. — **36.** Andromade *H*. *ς*. Antromede *ρ*. Andromache *i*. calore v_9. *m*. *L*. — **38.** nigre *n*. iuger *ρ*. *Hic us. post* 39 *scriptus est in f.*: *corr. man.* 2. — **39.** Si] Sed *u*. *ed. Ven.* 1486. Et *i*. facies *k*. *Maz*. *P*. poterat c_1. *ρ*. potuit *a*. n_1. *q*. tibi *n*. dignia l_7. — **40.** tua *priore loco om.* B_1., *poster. om.* l_1. nulla] *poster. loco*: ulla l_8. *m*.

At mea cum legeres, etiam formosa uidebar:
Unam iurabas usque decere loqui.
Cantabam, memini — meminerunt omnia amantes —
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Haec quoque laudabas, omnique a parte placebam,
Sed tunc praecipue, cum fit amoris opus.
Tunc te plus solito lasciuia nostra iuuabat
Crebraque mobilitas aptaque uerba ioco,
Et quod, ubi amborum fuerat confusa uoluptas,
Plurimus in lasso corpore languor erat.
Nunc tibi Sicelides ueniunt noua praeda puellae:
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse uolo!
O uos erronem tellure remittite nostrum,
Nisiades matres Nisiadesque nurus.
Nec uos decipiant blandae mendacia linguae:
Quae dicit uobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos, —

41. Et *o.* Ad *m.* At quum me m_1. mea *f.* γ. *u.* v_9. *n. p o.* β. me *reliqui.* legeras γ. r_1. legerem *Medenb. Wakker.* legerem, ore etiam *Baehrens.* etiam] tibi iam g_6. uidebor *m.* — **42.** Nam v_8. iurabis v_8. narrabas *n.* absque *C.* r_1. decore r_1. decedere v_8. — **45.** Hoc ς. Me g_7. ς. a] in *Maz.* omni tibi parte *f.* — **46.** tum g_7. ς. nunc *ed. Mic.* 1549. sit v_8. *o.* — **47.** Tum *a.* solita v_8. v_9. solido β. iuuabant m_4. *V. Reg.* — **48.** iocis χ. p_2. *L.* loco *nonnulli ll. Nauger.* m_2. sono *f.* uerba] membra ψ. — **49.** Et quod ubi *Nauger.* m_3. Et quod ubi iam *h.* Ecquid ubi *f.* At simul *H. F.* γ. p_2. *n.* g_4. g_5. Ac simul g_7. ς. At ubi iam g_6. At ut ubi β. Atque ubi iam ς. Quique ubi iam *Heinsius.* ambarum *F.* amorum *k.* fureat l_6. consumpta *P.* — **50.** Plurimis *o.* lapso *k.* χ. l_7. m_3. laxo l_2. r_1. n_1. longor v_8. langor g_7. ς. — **51.** Sycilides *f. a.* Sicilides *H. F.* g_7. ς. Sycelides *n.* ^{i} sicelides *ſ.* scicilides *p.* sicilialides *m.* puella *f.* — **52.** Lesbou χ. lebso β. Sycilis *f. a.* l_7. *q.* ^{i} sicilis *H. F.* g_7. ς. sycelis *n.* sicelis *ſ.* scicilis *p.* siculus g_4. uolunt *a.* — **53.** Neu g_7 (u *in ras. scr. man.* 2). ς. Ne *C.* l_4. r_1. χ. g_5. Heu m_2. At *uel* Nec ς. Aut m_2. At (Nec) uestra *Heinsius.* Aut uestra *Lindemann.* errorem *H. F.* ς. heroem *k.* tellurem *F.* l_7. remictere l_4. admittite g_7. ς. amittite n_1. uestrum g_4. *a. q.* m_2. c_1. ρ. uestra *suprascr. man.* 2 *in* g_7. — **54.** nysiades *H.* g_4. nisiade χ. ni^{s}liades m_4 (*corr. man.* 2). nesiades m_1. Nesiades — Nesiadesque *Domit. Cald.* Nisiades^{Nes} — Nisiadesque^{Nes} g_7 (*suprascr. man.* 2). sicilides ς. nysiadesque *f.* g_4. sicilidesque ς. — **55.** Ne *uel* Neu ς. decipiat ρ. mendacie l_4. ligue *H. m. Hic us. post us.* 57 *est in* c_1. — **56.** dicet *F.* dixit c_1. uobis dicit *f.* n_1. — **57.** Tum *m.* quae *om.* m_4. qui c_1. montes *f. h.* g_4. g_5. g_6. immitis *ſ. z.* immites *reliqui.* herycina *f.* ericina *H.* ς. ery-

Nam tua sum — uati consule, diua, tuae.
An grauis inceptum peragit fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrimas ossa bibere meas.
Arsit inops frater meretricis captus amore,
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili peragit freta caerula remo,
Quasque male amisit, nunc male quaerit opes.
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tamquam desint, quae me sine fine fatigent,
Accumulat curas filia parua meas.
Ultima tu nostris accedis causa querelis:
Non agitur uento nostra carina suo.
Ecce iacent collo sparsi sine lege capilli,
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor uili, nullum est in crinibus aurum,
Non Arabo noster rore capillus olet.

cinna p_2. erytina v_8. sycanos *f. o.* sicannos v_9. — **58.** sunt *β.* consue *ρ.* dura *n* (diua *suprascr. man.* 2). — **59.** Num *o.* l_3. At *a.* n_1. m_2. An *n.* peragat *χ. β.* tinorem *n.* laborem *L.* — **60.** tuo *ρ.* — **61.** Sic *H. F. ς.* Si *q.* Serum v_9. inerant *k. γ.* l_2. g_6. iactant *C.* ferant *uel* fuerant *ſ. man. pr.* gerant *F.* leta v_9. *χ.* l_4. *β. o.* lecte *n.* parentes m_3. — **62.** lacrimans v_8. — **63.** inops] iners *Oudendorp.* amans *Francius.* egens *Broukhusius. Conieci:* mox. *Baehrens:* post. Carpsit opes *Bentley.* captus meretricis [*i.* m_2 m_3. uictus m_4. iuctus meretricis *H. F.* g_7. *ς.* uinctus *w. Bentley.* — **64.** mistaque g_7. n_1. danna l_8. n_1. sudore *H.* (*corr. man.* 2) dolore l_4. — **65.** Fastus *cod. exc. Paris.* 7674. rhemo v_3. — **66.** Quamque-tam *Bentley.* Quisque p_2. admisit m_2. amisit *i.* p_2. v_9. nunc] non *χ.* — **67.** quod *om. h. m.* Et me quod g_6. — **68.** Hec-hec m_4. c_1. *ρ.* Nec *χ.* pia] mihi g_4. ligua *H. β.* — **69.** Ut *ς.* numquam *ς.* desunt *ſ.* desit *f.* desinit v_8. l_1. c_1. *ρ.* quae me hac sine cura fatiget *f.* quae sine cura v_8. fatigant *h. m.* fatigat v_9. c_1. *ρ.* fatiget *f.* m_3. — **70.** Accumulet *m.* Accumulas g_6 (*corr. man.* 2). partia *q.* — **71.** Ultime l_3. accedas *k. p.* accedit l_4. causa doloris querelis *γ.* — **72.** Nunc *adscr. man.* 1 *in k.* — **73.** Ecce iam iacent l_4. sparsi] passi *Reg.* positi *h. u.* B_1. — **74.** Haec l_7. gema v_9. — **75.** uilli v_9. nullumque in *i. a.* n_1. cruribus *Heinsius*, *Bentley.* — **76.** Arabum *f.* nostri v_9. l_4. rore] dona *f.* v_9. *n.* olet] habet *f.*

Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.
Molle meum leuibusque cor est uiolabile telis,
Et semper causa est cur ego semper amem.
Siue ita nascenti legem dixere Sorores,
Nec data sunt uitae fila seuera meae,
Siue abeunt studia in mores, artisque magistra
Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, si me primae lanuginis aetas
Abstulit atque anni, quos uir amare potest?
Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam;
Et faceres, sed te prima rapina tenet.
Hunc si conspiciat, quae conspicit omnia, Phoebe,
Iussus erit somnos continuare Phaon.
Hunc Venus in caelum curru uexisset eburno,
Sed uidet et Marti posse placere suo.
O nec adhuc iuuenis, nec iam puer, utilis aetas,
O decus atque aeui gloria magna tui,

77. color g_4. g_6. v_9. *m*. m_2. colore v_8. calor *n*. laboro g_4. g_6. — **78.** abes *Heinsius*. — **79.** Mille γ. *n*. l_7. *suprascr. man.* 2 *in k*. mihi *Heinsius*. lenibus *F*. que *om. omnes praeter f. H. h. k.* cor *om. f.* cor ^{et} est g_7. (et *suprascr. man.* 2). iecur *Heinsius*. teneris cor est penetrabile m_2. *adscr. man.* 2 *in* m_4. tellis β. m_2. telum γ (*corr. man.* 2). — **80.** qur l_4. cur ut ego *F*. — **81.** dixere] dedere *o*. coherere χ. imposuere β. m_4. posuere *i. a. D.* l_3. n_1. *q*. m_2. — **82.** Nec *f. ſ. p. q. k.* m_2. Haec *Naug.* v_9. Et *reliqui*. Haec-suae *I. C. Iahn, Annal. philol. et paedag. I* (1826) *p*. 109. Et rata *Heinsius, Aduers. III. c.* 17. *cf. Burmann ad Ou. Her. XVI.* 277. Nec rata *Heinsius*. fila uite *H*. canora *P*. *Vss.* 81—82 *post us.* 84 *sunt in* n_1. m_2. *Vss.* 82—83 *desunt in* l_8 (*adscr. man.* 2). — **83.** obeunt *n*. abeant v_8. habeunt n_1. m_2. artisque magistra *emend. Heinsius*. artesque magistrae *cod, exc. Paris.* 7647 [magistre] *Heinsius*. artesque *f. H. F.* g_7. ς. magistras *f. H.* g_7. ς. maiistras *F*. — **84.** mole v_9. talia *H. F.* ς. talia molle c_1. *n*. facit *f. Naug.* dedit *reliqui*. — **85.** Cui ς. miseram *f*. primae si me *Heinsius*. — **86.** Sustulit c_1. ρ. animi g_7 (ii *in rasura*). — **87.** Nunc ς. caperes χ. raptores v_9. r$\overset{a}{e}$peres l_6. auroram *q*. — **88.** Et raperes *o*. sed te] certe g_4. rapena l_3. — **89.** Nunc *n*. m_4. Non n_1. conspicias-conspicis *H. F.* g_4. m_2. phebes l_3. l_6. — **90.** eris ς. eri$\overset{t}{s}$ l_1. erat v_9. c_1. ρ. *Vss.* 89—90 *post us.* 92 *sunt in* g_7. *D*. *Vs.* 90 *deest in* l_6. — **91.** Nunc *n*. n_1. *a*. Huc c_1. ρ. phenus *h*. e celo c_1. ρ. uixisset v_8. *m*. — **92.** et] haud *marg. ed. Ven.* 1558. posset *H*. (*corr. man.* 2). — **93.** aduc *H*. ς. O nec adhuc] Nec iam c_1. ρ. iam] ipsa *F*. O ne adultus nec iuuenis puer g_4. — **94.** deus *marg. ed. Ven.* 1558. magnia l_7.

Huc ades inque sinus, formose, relabere nostros:
Non ut ames oro, † uerum ut amare sinas. —
Scribimus et lacrimis oculi rorantur obortis:
Aspice, quam sit in hoc multa litura loco.
Si tam certus eras hinc ire, modestius isses,
Si modo dixisses »Lesbi puella, uale!"
Non tecum lacrimas, non oscula nostra tulisti:
Denique non timui quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum iniuria, nec tu,
Admoneat quod te, munus amantis habes.
Non mandata dedi; neque enim mandata dedissem
Ulla, nisi ut nolles immemor esse mei.
Per tibi, qui numquam longe discedit, Amorem,
Perque nouem iuro, numina nostra, deas:
Cum mihi nescio quis »fugiunt tua gaudia" dixit,
Nec me flere diu nec potuisse loqui.
Et lacrimae deerant oculis et uerba palato,
Astrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor inuenit, nec pectora plangi

95. Nunc ς. Tunc v_8. simus v_8. labere l_4. delabere m_4 (*corr. man.* 2). — **96.** Non quod ames m_4. *V.* uerum ut *f. h. k.* l_3. g_4. g_5. sed quod *H. F.* g_7. ς. sed ut ς. sed te ut v_8. *z. m.* m_1. sed te *Domit. in edit. Ven.* 1558. *p.* 19^v. sed quo *ed. Ven.* 1486. quod ut *ed. Ven.* 1492. me sed *Heinsius.* nos sed *Baehrens.* amare] ameres *k.* (*adscr.* amare *man.* 2). — **97.** et] ut c_1. ρ. lacrimas c_1. ρ. abortis *H. F.* g_7. ς. — **98.** respice *a.* n_1. *q.* m_2. in *om.* v_8. sit quantum hoc *H. F.* g_7. ς (quanto g_4. quanta l_6. m_2). sit quantum multa *h.* χ. β. m_4. *u.* B_1. litora c_1. littura *H.* m_3. loco] hoc *n.* — **99.** hinc *om.* n_1. esses *u. n.* (*corr. man.* 2 *in n.*). — **100.** Si *Naug.* g_7. γ. *a.* n_1. *q.* l_2. *i.* Et *reliqui.* modo *om. h.* michi *f.* lesbia χ. β. — **101.** Nunc n_1. nostra *f.* χ. ψ. summa *reliqui.* — **102.** Non denique l_2. delictura v_9. quod] quae *Heinsius.* — **103.** de re l_1^3. *m.* m_1. est *om. o.* nec tu, Admoneat quod te *emend. Burmann.* nec te *codd. omnes.* (nocte *n. corr. man.* 2). quae me *Douza.* — **104.** Admoueat v_8. Ammoneat g_5. g_6. Admonui g_4. c_1. ρ. *M. V. Ciofan.* Admouit *p.* Admonuit *F. H.* g_7. ς. Admonear *Egnatius.* quod] quae *C.* te] tu *codd. omnes* (*om. C*). munus] pignus ς.— **105.** dedit *f.* nec *f. H.* ς.— **106.** Nulla l_7. Non nisi *o.* noles v_9. molles *n.* isse *f.* — **107.** nunc β. (*corr. man. rec.*). discedet g_4. discessit *z.* discedat *H. F.* g_7. ς. disce/:/dat l_3.— **108.** nomina ρ. nostra] sancta *C.* r_1. c_1. ρ. *M.* — **109.** quis *om. a.* tuo l_3.— **110.** flore *n.* (*corr. man.* 2). flete l_6. (*corr. man.* 2). — **111.** Nec l_2. uerba *f.* ς. lingua *F.* g_7. ς. ligua *H.* β. uallato *o.* — **112.** Abstrictum *u.* pectore frigus g_4. corpus m_2. — **113.** se *om.* m_9. inuenit] minuit c_1. ρ. immi-

Nec puduit scissis exululare comis;
Non aliter, quam si nati pia mater adempti
Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet et e nostro crescit maerore Charaxus
Frater et ante oculos itque reditque meos.
Utque pudenda mei uideatur causa doloris,
»Quid dolet haec? certe filia uiuit," ait.
Non ueniunt in idem pudor atque amor; omne uidebat
Vulgus: eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon, te somnia nostra reducunt,
Somnia formoso candidiora die.
Illic te inuenio, quamuis regionibus absis,
Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Saepe tuos nostra ceruice onerare lacertos,
Saepe tuae uideor supposuisse meos.
Oscula cognosco, quae tu committere linguae
Aptaque consueras accipere, apta dare.
Blandior interdum uerisque simillima uerba

nuit *H.* ς. *adscr. F.* adminuit l_2. imuenerit *P.* inmisit *Baehrens.* nec *om. m.* mea *H. F.* g_7. ς. me^a *n.* (a *adscr. man.* 2). planxi *H. F.* g_7. ς. plansi l_2. l_7. $\overset{x}{\text{plansi}}$ *n.* pectora dixit planxi *D.* — **114.** Ne *o.* potuit v_8. potui m_4. scissis] ruptis ς. raptis *Ciofan.* exullulare v_8. *m.* exullulare l_4. n_1. — **115.** pia nati m_2. — **116.** Portat *F.* c_1. *ρ.* Portes m_2. Ferret g_4. ψ. ad] in *Mer.* structos l_3. l_6. n_1. destructos *n.* exstinctos *L.* extremos *duo Heins. ll.* ĩnane v_9. — **117.** Gaude χ. e *om.* l_6. l_7. *q.* ex *F.* a g_6. Caraxes *f.* $\overset{h}{\text{C}}$arassis g_7. l_2. Caraxus *k.* Charaxos l_1. Charaxes v_8. *m.* m_1. *f* (Charaxus *adscr. man.* 2). Carasis *H. F.* ς. Carassis ς. Cauaxis v_9. Carisis *n.* r_1. — **118.** et////ante g_7. redit atque l_2. l_6. it reditque l_4. χ. m_2. — **119.** mei] magis g_7. ς. uidentur n_1. dororis *f.* — **120.** Quod l_7. dolor hic g_4. haec dolet *m.* hoc n_1. iuuat n_1. ait certe *m.* — **121.** uenit v_9. atque *m. p* (*corr. man.* 1). — **122.** uuulgus l_1. lacera *H. F. m.* lacerato *β.* — **123.** mihi es l_3. l_6 (es *induxit man.* 2 *in* l_6). te] tunc χ. reducant *a.* — **124.** formosa *F.* ς. nimboso *Baehrens.* candiora *C.* die] niue *γ. o.* — **125.** Si illic *F.* Illuc l_6. *γ.* (*corr. man.* 2 *in γ.*). Illis *Birt.* inuenis *H.* quamquam ς. absit *f.* — **126.** longa dies satis l_1. gaudia] somnia *p.* (gaudia *adscr. man.* 2). — **127.** nostra] uideor *a.* l_3. l_6. n_1. *q.* ceruices χ. ornare c_1. *ρ.* honerare *f. k.* n_1. m_3. — **128.** Saepae *H.* tuis v_8. *β* (*corr. man.* 1). uideo l_4. meas n_1. tuos meos *H.* (*del. man.* 1). — **129.** conmictere r_1. l_2. l_4. comitte v_9. lingua *f.* ligue *H.* — **130.** consueueras v_8. *β. m.* m_4. consueueras *C. o.* accipe *F.* v_8. et apta dare r_1. m_3. atque dare g_4. darem *i.* *Vss.* 129—130 *post us.* 132 *sunt in a.* l_3. *q.* m_2. — **131.** Blandidior *n.* uerbis *o.* uerbisque n_1. similima *p.* χ. *β.*

Eloquor, et uigilant sensibus ora meis:
Ulteriora pudet narrare, sed omnia fiunt,
Et iuuat, et sine te non licet esse mihi.
At cum se Titan ostendit et omnia secum,
Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto, tamquam nemus antraque prosint:
Conscia deliciis illa fuere meis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine iacente feror.
Antra uident oculi scabro pendentia tofo,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant.
Inuenio siluam, quae saepe cubilia nobis
Praebuit et multa texit opaca coma.
At non inuenio dominum siluaeque meumque:
Vile solum locus est; dos erat ille loci.
Cognoui pressas noti mihi caespitis herbas;
De nostro curuum pondere gramen erat.
Incubui tetigique locum qua parte fuisti;
Grata prius lacrimas combibit herba meas.

132. Eloquar *f*. Elloquor v_9. — **133** Ulteriora pudet *f*. *q*. Ulterius pudet hic *reliqui*. (Ulteriusque l_7. haec p_2. hec *k*. m_4). $\overset{\text{narrare}}{\text{manare}}$ *n*. *corr. man.* 2. omnia fieri *Heinsius*. — **134.** Ut iuuat l_3. l_6 (*corr. man.* 2 *in* l_6). et siccae [*sic*] non *f*. *Burmann*. $\overset{\text{c}}{\text{libet}}$ *n*. libet *H*. ς. sic libet *Hoeufftius*. et sine me non licet esse tibi *Bentley*. — **135.** At se cum g_6. Postquam *a*. l_3, l_6. m_2. Ah g_4. Et c_1. ρ. Tytan *f*. γ. *D*. $\overset{\text{et}}{\text{tithan}}$ c_1. atque *n* (*corr. man.* 2). onstendit l_1. — **136.** Tum *m*. somnum *f*. c_1. ρ. sonnos n_1. — **137.** utraque c_1. ρ. prosit l_1. v_9. prosunt c_1. v_9. $\overset{\text{i}}{\text{prosunt}}$ *n*. — **138.** meis ς. tuis *f*. *H*. *F*. ς. *suprascr. man.* 2 *in* g_7. — **139.** Illic *H*. ς. ut] et c_1. ρ. $\overset{\text{quam}}{\text{quis}}$ *H*. ericto g_7 (h *rubro colore suprascr.*) ς. hericto *a*. *n*. *q*. χ. β. m_2. eritho *H*. *F*. l_6. *u*. B_1. erypto l_7. ericta *m*. Enyo *f*. enio m_4. en o. v_9. Erinnis *P*. erinis *p*. — **140.** Attulit *H*. ς. Actulit l_4. Attigit *f*. m_4. Abstulit *Heinsius*. in] et l_7. latente g_6. iactante v_9. — **141.** Antra] Aut v_8. — **142.** Qui— erat g_4. mihi *om*. *q*. mydonii *f*. migdonei *H*. ς. migdini v_9. prigdonii β. erant] habent χ. β. — **143.** Inuenis v_8. quis *i*. cubilia saepe v_8. cubicula m_2. — **144.** Praecubuit l_3. l_6. et] haec g_4 (*corr. man.* 2). texit] pressit *h*. v_8. *u*. *z*. *f*. l_1. B_1. multis—comis *marg. ed. Ven.* 1558. — **145.** Sed ς. siluae dominumque *omnes ll.* [sillic v_9] *praeter* *f*. p_2. γ. m_4. — **146.** solus *k*. locus *om*. *h*. c_1. erit *p*. flos *Cornelissen*. loci] locus ρ. *corr. man.* 2 *in* l_7. — **147.** Agnoui ς. noti mihi] modo uiui g_7 [u *pr. in ras.*]. *D. Reg.* modo noti *Mer*. pressas uestigia corporis herbas *i*. *a*. n_1. *q*. l_3. m_2. — **150.** pius *n*. conbibit *k*. ebibit

Quin etiam rami positis lugere uidentur
  Frondibus, et nullae dulce queruntur aues.
Sola uirum non ulta pie maestissima mater
  Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores:
  Hactenus ut media cetera nocte silent.
Est nitidus uitreoque magis perlucidus amne
  Fons sacer: hunc multi numen habere putant.
Quem supra ramos expandit aquatica lotos,
  Una nemus; tenero caespite terra uiret.
Hic ego cum lassos posuissem flebilis artus,
  Constitit ante oculos Naias una meos.
Constitit et dixit »Quoniam non ignibus aequis

Testimonium ad us. 157. *Scholiasta Barthianus I siue Metensis in cod. saec. VIII. ad Hor. C.* I. 1. 22: »Omnis fons in origine sua sacer est et sub poena uetabatur eum uiolare. Unde Ouidius: Est nitidus .... putant". *Sed cf. quae exposui in disp. crit.*

a. q. cum bibit m_4. *Egnatius.* herba] illa *o.* *Vss.* 149—150 *post us.* 152 *sunt in h. u.* v_8. l_1. *f. z.* — **151.** Cum eciam c_1. ρ. ramis m_2. *f.* positi *h.* χ. *n.* positis rami g_8. iugere *H.* — **152.** nulli *h.* mille *H.* ς. et dulce mille χ. β. dulces mille g_4 (*corr. man.* 2). dulces n_1. *q.* auos v_8. — **153.** $\overset{u}{\text{mirum}}$ *n* (*corr. man.* 2). ulcta g_7. *k.* l_7. pie *f. F.* pia *H.* prius *reliqui.* noxa ulta pia *Baehrens.* mitissima *H.* metissima *o.* — **154.** Concinnit *a.* m_2. concinit [ci *in ras.*] *n.* hismarium *H.* ς. hysmarium *f.* ς. hysmario χ. ismario l_4. *n.* ismareum v_8. daunias *H. F.* ς. daunicus m_2. daimias *C.* daymias r_1. claunias g_8. 154/155. ithim *H. F.* ς. ythin *f. n.* l_4. itym p_2. *k.* itim g_7. l_2. ythym χ. hythim *a. q.* — **155.** Saphon *f.* v_8. Sapho g_7. ς. Saphos ς. discerptos, diuulsos, diruptos *Francius.* miseros decantat ς. cantat] quaerit ρ. quaeret *Mer.* — **156.** ut] in *f. h.* g_8. et ς. mediam v_8. scilẽt v_8. — **157.** Et c_1. ρ. uitroque—amnis *Naug.* $\overset{e}{\text{uitroque}}$—$\overset{e}{\text{amnis}}$ *k*(*corr. man.* 1). uitroque χ. *u. o.* utroque v_8. uitroque—omni *Heinsius*, *Bentley.* uitroque—antris *Birt.* amni *f.* ς. amnis *p.* amnis v_8. *o.* β. anne n_1. amnem v_8. — **158.** numine *m. corr. man.* 2 *in* l_2. — **159.** Quemque g_7. *C. D.* super g_7. r_1. l_4. super huc v_8. *p.* super hunc *o.* superat m_2. semper m_4 (*corr. man.* 2). expendit *Naug. e nonnullis ll.* extendit *H. F.* ς. aquantica *f.* (*corr. man.* 2). aquaticha m_2. $\overset{a}{\text{equatica}}$ *n.* lothos *f.* ς. lothus *H. F.* lathos l_2. l_6. loto c_1. ρ. — **160.** Unda *u.* c_1. ρ. B_1. Unde γ. *C.* Uda *H. F.* tenero [ter *in ras.*] g_7. iu////et *q.* — **161.** Heic *k.* laxos r_1. lapsos χ. β. l_4. m_2. fessos ς. fexos l_2. l_6. potuissem v_8. c_1. fletibus g_8. ψ. m_2. *adscr. man.* 2 *in* m_4. arctus *k. C.* l_7. — **162.** *Ita f.; reliqui omnes:* Formosus [Formosusque l_4.] puer uisus adesse mihi. uda *Heinsius*, *Bentley.* Ante oculos uisa est Nais adesse meos *marg. ed. Bersm.* 1590. — **163.** quoniam] quae nunc g_7. *F.* ς. nunc quae g_8. quo nunc *p.* v_8. $\overset{cur}{\text{que}}$ nunc l_2. cur nunc *k. a. q.* m_2. m_3. cum nunc n_1. quid nunc *marg. ed. Ven.* 1558.

Ureris, Ambracia est terra petenda tibi.
Phoebus ab excelso, quantum patet, aspicit aequor:
Actaeum populi Leucadiumque uocant.
Hinc se Deucalion Pyrrhae succensus amore
Misit et illaeso corpore pressit aquas.
Nec mora uersus amor figit lentissima Pyrrhae
Pectora, Deucalion igne leuatus abit.
Hanc legem locus ille tenet. Pete protinus altam
Leucada, nec saxo desiluisse time."
Ut monuit, cum uoce abiit: ego frigida surgo,
Nec grauidae lacrimas continuere genae.
Ibimus, o Nymphe, monstrataque saxa petemus:
Sit procul insano uictus amore timor.
Quicquid erit melius quam nunc erit: aura subito;

164. ambrachia *f.* amchrachiis *H. F.* ς. ambrac///is g_7. ambraciis γ. an brachys χ. ambrachis l_7. ambraciae *k.* ambrachiae p_2. *f. z.* v_8. l_1. ambracias *V.* ambra////ias l_2. est *om. omnes praeter f.* c_1. ρ. tenenda l_7. tibi est *omnes praeter f.* c_1. ρ. Ambracies— tibi est *Baehrens.* — **165.** ad excelsos l_7. quando *f. H. F.* quoquo *Baehrens.* pater ς. illos equore l_7. equos v_9. — **166.** Atheum *H. F.* ς. Atteum g_5. γ. l_3. l_6. Actiacum *f.* p_2. *h.* Attiacum *k.* Acciacum *o.* Ast illum g_6. Nutheum χ. β. Retheum *p.* aytheum l_7. leucadionque g_6. leuchadiumque *p. o.* leue///sadiumque n_1. leucandiumque l_7. uocat m_3. — **167.** Hic^{se} ς. sine β. deuchalion *p. o.* m_2. deud^{c}alion χ. pirre *H.* ς. pyrrae l_4. *q.* pyrche^{pyrre} c_1. pire *p.* v_9. pӯthe *o.* pyne β. pirhe ρ. successus v_9. ρ. succẽssus l_3. l_6. succemsus l_7. amorm v_8. — **168.** illaeso corpore] in liquidas pondere *H. F.* misit nec liquidas pondere *Baehrens.* — **169.** uersus *f. H. F. h.* r_1. iustus g_7. *D.* uisus χ. n_1. m_3. usus g_6. iussus *reliqui.* amans ς. figit *H. F.* fugit *f. h.* tetigit *reliqui.* tenuit *cit. Egnat.* lentissima *f. p.* letissima *H. F.* g_7. ς. lectissima *k. a. q.* pirre *H.* ς. pyrre *F. k.* m_2. pirae *p.* pirche c_1. v_8. purphe *m.* mersi *f. h. C.* r_1. n_1. l_7. prece l_3. l_6. (*corr. man.* 2). tetigit lentissima Pyrrhae *Heinsius.* tet. lent. mersi *Merkel.* — **170.** deuchalion v_9. *o.* m_3. deug^{c}alion l_3. l_6. digne c_1. abit *H.* erat *reliqui.* — **171.** Han l_4. latus χ. β (*suprascr. man.* 2 locus). altum *n. k.* alta β. (altam *suprascr. man.* 2). — **172.** leuchada n_1. leucadia l_7. saxa v_8. s^{a}exo l_3. l_6. disiluisse χ. c_1. dixiluisse l_7. dissiluisse ς. timet m_3. *corr. man.* 2 *in* v_8. — **173.** uoce] luce v_9. cum uoce] simul m_2. habiit n_1. β. frigida *f.* g_7. ς. pallida *H.* g_4. *F.* (*suprascr.* frigida *in F.*). territa ς. — **174.** lacrimas grauidae χ. β. c_1. ρ. grauidas *H.* lachrimis grauide *i.* continuare *o.* conticuere^{nuere} m_4. Nec lacrimas oculi continuere mei *f.* — **175.** nympha v_8. nymphae l_1. l_2. m_1. *D. u.* B_1. lymphe g_4. monstraque v_8. petamus n_1. v_9 (*corr. man.* 1). patemus *n.* — **176.** Sic l_1. *z.* uicta *H.* timor *in rasura* g_7. pudor *F.* (*suprascr.* timor). *us.* 176 *om.* χ. — **177.** melior g_5. γ. l_4. *C.* erat l_4. *C.* v_9. χ. qua χ.

Et mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas suppone cadenti,
Ne sim Leucadiae mortua crimen aquae.
Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam,
Et sub ea uersus unus et alter erunt:
»Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho;
Conuenit illa mihi, conuenit illa tibi."
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Cum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda,
Et forma et meritis tu mihi Phoebus eris.
An potes, o scopulis undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meae?
At quanto melius iungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis praecipitanda dari!

nunc leuis aura *o*. aurea l_3. l_6, arua c_1. ρ. subibo *n*. χ. β (*corr. man. rec.*). subito quam nunc erit aura γ. — **178.** Haec g_4. *f*. En *i*. corpora] pectora *F*. (*suprascr.* pro corpora). c_1. ρ. corporas *H*. — **179.** quoque] modo β. (quoque *adscr. man. rec.*). χ. molis v_9. m_3. pinnas *h*. — **180.** Neu l_7. Nec *f*. leucade m_2. crimine l_2. criminen *D*. aqua *f*. — **181.** chelim *f*. *H*. g_7. ς. gelim *F*. chelin *k*. v_8. chelym c_1. p_2. comunia ς. communea v_8. pono l_6. — **182.** sub *om. o*. Et suberit uersus χ. β. Et super unus ea uersus et *C*. r_1. unus] inter *uel* prius *i*. una v_8. erit *H*. *F*. g_7. ς. erat v_9. — **183.** graia *f*. gratam n_1. posui *f*. *h*. l_3. l_6. *Farn.* B_1. posuit *reliqui*. poetria *h*. l_7. *f*. poeticha m_3. poetica *reliqui*. Sapho *f*. *H*. g_7. ς. Saphos χ. β. *o*. g_6. m_3. m_4. — **184.** tibi—mihi ς. ille mihi g_4. — **185.** qur l_4. *u*. tamen *f*. *H*. *F*. g_7. l_5. g_4. *o*. modo ad β. (*suprascr.* mihi *man.* 2). *L*. non v_8. precor *k*. p_2 (*Sarr.?*). mihi ad χ. *C*. l_7. r_1. g_5. m_3. c_1. ρ. mihi et v_9. *p*. nunc ς. attiacas *H*. *k*. *n*. n_1. acciachas m_2. acthiacas *a*. athiachas β. m_3. athiacas *q*. *C*. l_7. r_1. *p*. actriachas χ. acticas *F*. artrachas l_3. l_6. atriacas l_4. atthiacas v_9. actheas m_4. actaeas *cod. Gryphianus Dan. Heinsii.* miseram] mestam *a*. g_5. mittit *n*. *Bentley*. mitis χ. mutis v_8. mictis l_3. l_4. l_6. r_1. n_1. horas *C*. (*del. man.* 2). *f*. n_1. m_4. — **186.** Quom^{s} γ. *u*. profugum g_7. ipse] inde *Naug.* ipsa n_1. refere *f*. v_9. — **187.** leuchadia n_1. possis potes v_9. salubris *F*. aqua m_2. — **188.** Ut *k*. forma et *Heinsius.* forma *h*. *i*. *Reg.* forme *f*. *H*. g_7. ς. formae *F*. ς. curae *Baehrens.* meritus v_9. eras l_7. — **189.** An] Ante l_4. o] e n_1. a l_3. l_6. *om.* m_2. undaque] nudaque *n*. uadaque v_9. illa] ulla γ. *w*. *Maz.* omni *f*. illis^{a} m_4. (*corr. man.* 2). undisque ... illis *Francius.* ferocior, illic Si moriar, *Baehrens.* — **190.** morior *o*. tito^{u}lum *n*. — **191.** Ah *H*. ς. (H *adscr. man. rec. in* β). Ha *F*. ς. O *a*. l_3. l_6. n_1. *q*. m_2. i *u*. B_1. quantum ς. iunga *n*. iungere χ. tecum mea ... iungi *f*. tua ... mecum γ. mea corpora *w*. — **192.** Que *H*. *F*. saxis poterant *f*. poteram *k*. p_2. *n*. l_7. peterem *C*. r_1. poterunt *Baehrens.*

Haec sunt illa, Phaon, quae tu laudare solebas,
Visaque sunt totiens ingeniosa tibi.
Nunc uellem facunda forem: dolor artibus obstat,
Ingeniumque meis substitit omne malis.
Non mihi respondent ueteres in carmina uires:
Plectra dolore tacent, muta dolore lyra est.
Lesbides aequoreae, nuptae nupturaque proles,
Lesbides Aeolia nomina dicta lyra,
Lesbides, infamem quae me fecistis amatae,
Desinite ad citharas turba uenire meas.
Abstulit omne Phaon, quod uobis ante placebat —
Me miseram, dixi quam modo paene »meus"!
Efficite ut redeat: uates quoque uestra redibit;
Ingenio uires ille dat, ille rapit. —
Ecquid ago precibus, pectusque agreste mouetur,

193. Nec χ. *n*. n_1. sum l_3. phao *p*. v_2. — **194.** sum ς. uisaque quae *Schroder in Miscell. Obseruatt. VII. p.* 290. sunt oculis inuidosa tuis g_6. — **195.** Hunc l_6. uelem v_2. fecunda β. fęcunda (a *suprascr.*) m_4. forent *F. p.* p_2. *a. q.* v_8. g_4. β. m_2. fore *n*. sed dolor *i*. artubus γ. l_3. l_6. arctibus *k*. — **196.** meum *F.* mei l_6. subsistit ρ. *adscr. man.* 1 *in* β. sustitit l_4. v_2. sustulit g_4. substinet *i*. malis] magis g_4. — **197.** Nec *q*. respondet χ. uetores (a *suprascr.*) l_6. in *om. h.* carmine *H. F.* ς. carmine g_7. — **198.** plettra *D.* tacent] silent *a. n. Med.* iacent *ed. Ven.* 1558. muta] multa l_1. *z. n* (*corr. man.* 2). est *om.* n_1. — **199.** Lesbydes l_1. (*sic quoque uss.* 200, 201). Lesbie m_4. equore *q*. equerere l_3. aequales *Baehrens.* nuptae nupturaque *sic H. F.* [nupte]. nupturae nuptaque g_7. ς. nupturaque [et v_2] nuptaque *f. h. k. p.* v_2. nupturae nupturaque χ. nuptura nuptaque *o. i.* nupturae nuptaeque *a. q.* ruiturae nuptaque g_6. mixturae mixtaque c_1. ρ. nupsere nuptaque m_2. neptuni nuptaque m_4. proles] puellae *a. q.* — **200.** eolida r_1. oelia *q*. numina ς. nomine l_4. m_2. dicta] dea β. liram l_3. lire v_2. — **201.** inphamem m_2. insanam *H.* quem ρ. fecisti *o*. faecistis v_8. amatae *f*. amare *reliqui*. amore *Baehrens. Vss.* 200—201 *om. h.* — **202.** Desimite *f*. Dessinite β. ad *om.* l_3. citheras *C.* l_3. citaras n_1. l_7. cytheras m_2. chitaras v_8. cytharas ς. ad citharae uerba uenire meae *Bentley.* turbae *a.* l_4. — **203.** Obstulit χ. nobis g_6. l_4. *w. L. corr. man.* 2 *in* β. quae . . . placebant g_6. — **204.** miserum ρ. quam] que *H. F.* ρ. *o.* quae *C.* l_1. l_7. v_8. m_1. *i. u.* B_1. quod *a.* n_1. quo c_1. l_3. l_6. quid *q*. quem (quam *suprascr.*) ς. quem g_7 (*suprascr. man.* 2). meas (u *suprascr.*) *n*. metus n_1. — **205.** Efficit l_1. Efficitur *z*. ut *om. m. z.* uestra *om.* β. nostra g_6. l_4. — **206.** illa rapit *m*. capit *u.* B_1. — **207.** Ecquid ego *o.* g_6. m_2. Haec quid ego *H. F.* g_7. ς. Ecquid ego hec l_3. Numquid ego m_4. Ha quid agam (ego *suprascr.*) β (*suprascr. man.* 2). Et quid ego g_4. g_5. *i.* c_1. ρ. l_3. l_6 (Et *adscr. man.* 2). Haec ego quid *a.* n_1. *q.* m_2. Nec quid ego γ. *n. C* (Nec *adscr. man.* 2). an precibus *h. k.* p_2.

An riget, et Zephyri uerba caduca ferunt?
Qui mea uerba ferunt, uellem tua uela referrent:
Hoc te si saperes, lente, decebat opus.
Siue redis, puppique tuae uotiua paramus
Munera: quid laceras pectora nostra mora?
Solue ratem: Venus orta mari mare praestat amanti;
Aura dabit cursum, tu modo solue ratem!
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido,
Ipse dabit tenera uela legetque manu.
Siue iuuat longe fugisse Pelasgida Sappho, —
Non tamen inuenies cur ego digna fuga —
Hoc saltem miserae crudelis epistula dicat,
Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

l_1. l_3. l_6. v_8. m. m_1. u. f. tibi pectus *k. p_2. Reg. (Sarr.?).* precibusque pectus *v_9.* pectusne *H. F. g_7. ς.* En quid ago? precibus pectusne *uel*: Sed quid ego haec? precibus pectusne *uel*: Ecquid, io, precibus tibi pectus *Heinsius.* — **208.** At *a. q. m_2.* A *Baehrens.* piget *f.* et *om. c_1.* — **209.** Quid *χ. l_3. l_4. β. corr. man.* 2 *in C.* uellem uerba *a. q.* (tua *adscr. man.* 2 *in a.*). uelem *v_9.* mallem *D.* uella *m_3.* uerba *i.* — **210.** si faceres *g_4.* lent$\overset{e}{\text{o}}$ *v_8.* docebat *β. m_3. f.* docebit *m_4.* — **211.** reddis *β. m_3.* pupique *o.* pupesque *f.* pupisque *χ. v_9. l_4. p. m_3.* puppisque *γ. r_1. l_3. l_8. β. g_5. g_8. m_4. c_1. ρ.* populisque *C.* puppi ecce tuae *Burmann.* tua *ς.* parantur *h. v_8. l_1. m_1. m_2. f. z. w. u. B_1.* — **212.** laceras] cruci$\overset{r}{\text{a}}$t *f.* quid] cur *o.* pettora *l_7.* mora] tuis *f.* moror *v_8. Vss.* 211—212 *om. H. F. g_4.* — **213.** Sollue *l_7.* uenis *m_3.* prestet *o. i.* sternit *marg. ed. Vinc.* 1555. sternet *marg. ed. Bersm.* 1607. *Schlichtenhorst.* amanti *f. v_9. p. m_3.* eunti *reliqui* (*om. h.*). praestat, eunti Aura *Baehrens. Vss.* 213—216 *om. L.* — **214.** Arua *v_9.* cursus *i.* — **215.** gubernator *f.* in] mihi *C.* pupe *f. H. ς. Vss.* 215—220 *om. g_6.* — **216.** dabit *om. n_1.* uella *p. β. m_3. m_4.* regetque *H. F. v_8. v_9. o. m_4. i.* manuque *l_6.* — **217.** iuuet *f.* iuua *n_1.* longe] forte *a. n_1. q. m_2. l_3. l_6.* si longe *z.* fuisse *m. z.* Pelagida *f. k.* Pelasgica *χ.* Saphon *f. H. F. g_7. ς.* (n *del. man.* 2 *in g_7*). Sapphon *h. p_2. D. l_2. g_4. m_1. f. z.* Sapho *c_1. ρ.* phaon *v_8.* — **218.** Nec *f. h.* inuenes *H.* inuenias *g_7. k. corr. man.* 2 *in m_4.* qur *l_4.* quor *γ.* dignia *l_7.* fugi (i *in rasura*) *g_7.* sua *a.* (*marg.* fuga). *Vss.* 217—218 *post us.* 212 *collocari iussit Heinsius.* — **219.** Ha *F.* Ah *H.* O *g_7. ς.* O utinam *a. n_1. q. m_2.* Hos autem *l_7.* Hoc saltu *ap. Schraderum, Emendatt. c. X. p.* 194. miserere *v_9. m_3. l_3. corr. man.* 2 *in l_8.* crudelis *q.* dicar *l_1.* — **220.** Ne mihi *m_3.* leuchadiae *o. l_3. l_6.* Leucadia—aqua *ed. Mic.* 1612. fata *in rasura g_7.* facta *l_7.* saxa *D. m_3. Reg.* $\overset{\text{saxa}}{\text{fata}}$ *l_6.* cura petatur *Baehrens.* $\overset{a}{\text{e}}$quae *n.* (*corr. man.* 2.). *Vss.* 219—220 *spurios iudicauit Bentley.*

Subscriptiones: Finis Saphus Ouidii *v_8.* Finis Epistole Saphos ad Phaonem scriptam (*sic*) *H.* ex poematibus saphos poetisse mitilenee ad

pahon dilectum suum l_4. Explicit epistula Saphos missa ad phaonem ciciliensem amatorem suum l_6. Vale. explicit Saphos. Saphos pelasgide lesbide mitelene ad phaonem suum amatorem epistola explicit *β*. Saphus lesbie mitilene ad phaonem siculum dilectum suum epistola finit *h*. Saphos Vatis Mitilenee epistola explicit *p*. explicit liber saphos pelasgide amen amen **τέλος** n_1. finis epistolae poetae Saphus **τέλος** l_7. Explicit epistolae Saphos poetisse mutilene v_9. (Sapho Lesbias — m_4). Finis. Saphos poetissa Vale. m_3. m_4. ΤΕΛΟϹ ϛ. *Subscriptiones non leguntur in: f. F. g_7. a. l_1. l_3. r_1. k. χ. o. g_4. g_5. g_6. u. B_1. c_1. ρ.*

COMMENTARIVS.

Vss. 1—4. Epistulae exordium mori Ouidiano plane consentaneum, ut recte obseruat Vahlen, *ueber die Anfaenge der Heroiden des Ovid* [1]), pag. 19. Ita similiter dicitur ex Pont. II. 10. 1 sqq.:

Ecquid ab impressae cognoscis imagine cerae
  Haec tibi Nasonem scribere uerba, Macer?
Auctorisque sui si non est annulus index,
  Cognitane est nostra littera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit horum,
  Nec repetunt oculi signa uetusta tui?

cf. ex. Pont. I. 2. 5 sqq. IV. 13. 3 sqq. cet.

Ecqvid vt recepimus e *f.*; reliqui ll. exhibent *Numquid ut* uel *ubi*, praeter g_7. *p. h.* praebentes *Ecquid ubi*, quod praetulit Loers. Sed et *Ecquid ut* et *Ecquid ubi* recte dici manifestum; inter quae uariant plerumque codices Ouidiani, ueluti Trist. V. 2. 1: *Ecquid ut ex Ponto noua uenit epistula palles*, Trist. III. 3. 47. IV. 3. 21. ex Pont. III. 5. 39; *ubi* constat Met. XII. 588, *ut* in codd. bonis est omnibus ex Pont. I. 6. 1: *Ecquid ut audisti*. . . . . .

Aspecta h. e. primo statim aspectu, quam scripturam confirmari etiam *Protinus* uerbo (us. 2) recte docet Heusinger [2]),

---

1) Qui libellus seorsim editus est ex comment. Regiae Litt. Acad. Berol. 1881.
2) Specim. emend. in Ouid. Her. in Lessing, zur Gesch. u. Litter. (Brunsuig. 1774) Dritter Beitrag.

pag. 64. Quod cur N. Heinsius praeeunte Ciofano ex uno uilisque pretii codice Maffei mutarit in *inspecta* non uideo.

Stvdiosae dextrae, tibi studentis, te amantis, ut Trist. IV. 10. 91 sq.:

Ad uos studiosa reuertor
Pectora, qui uitae quaeritis acta meae.

Ita et Trist. I. 2. 77: *Nec peto, quas petii quondam studiosus Athenas;* h. e. cupidus Athenas uidendi, ut recte explicauit Burmannus. cf. Trist. V. 1. 1 sq.

Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum
Litore praemissis quattuor adde meis.

Studiosum uero absolute positum et »litterarum studiosum, litteris eruditum" posse significare — quod negat Burmannus ad h. us. — certe potest demonstrari; cf. e. g. Hor. Ep. I. 3. 6: »*studiosa cohors*", ad quem us. alia multa exempla collegerunt interpretes.

Vs. 3—4. An, nisi legisses avctoris nomina Sapphvs, Hoc breve nescires vnde movetvr opvs? cf. ex Pont. I. 7. 3 sq.:

Indicat auctorem locus? an nisi nomine lecto,
Haec me Nasonem scribere uerba latet?

Vs. 3. Avctoris nomina Sapphvs; *auctor* genere feminino ut Fast. VI. 709: *inuentrix auctorque*, Met. VIII. 108: *meritorum auctore relicta.* A. A. I. 72. Met. VIII. 493. Fast. V. 192, cet.

Vs. 4. Hoc breve nescires vnde movetvr opvs, *breue opus*, epistula, ut ex Pont. III. 4. 5 *exiguum opus; breue opus* Fast. V. 654. cf. Huebner in Herme XIII. 229.

Locutio *nescires unde mouetur opus* uehementer est impugnata a Schneidewino (Mus. Rhen. N. S. II. p. 140) uerbis hisce: »*mouere* bei Ovid (Am. III. 1. 6. A. A. I. 29. Fast. IV. 820) steht von dem Antreiben einer Beschäftigung, wie *Musa hoc mouet opus, Usus opus mouet hoc.* Aber in unserm Briefe soll es heiszen: von wem das Liebesbriefchen kommt!" At *mouere carmen, opus* eadem sententia, qua in hac epistula, saepius inuenitur apud Ouidium: prorsus eodem sensu Her. VII. 4:

Alloquor. aduerso mouimus ista deo. cf. Met. XIV. 20: *Carmen Ore moue sacro.* Fast. I. 19: *Pagina iudicium docti subitura mouetur Principis.* 268: *Ipse meae moui callidus artis opus.* III. 11: *Quid enim uetat inde moueri.* Et sic est apud Verg. Aen. VII. 45: *Maius opus moueo. Mouere* igitur est incipere, manifestum facere, proferre, ut recte iam Bentley [1]) et Gierig [2]) sunt interpretati. cf. Loers, Mus. Rhen. N. S. IV. p. 41; R. Bodenstein, *Studien zu Ovids Heroiden* [3]), p. 11.

Indicatiuus autem *mouetur* in interrogatione, quae dicitur indirecta, non est cur offendat, quamquam damnarunt eum nonnulli (ueluti is qui scripsit librum *f.*, pessime ideo mutans *mouetur* in *ueniret*). Similiter plane dicitur Her. XVI. 78 — in editionibus Merkelio anterioribus — *Hanc esse ut scires unde mouetur amor.* Neque desunt exempla quibus hic indicatiui usus defendatur; sic Met. X. 637 in bonis codd. omnibus legitur: *Quid facit ignorans*, quod minus recte mutarunt editores. Itidem indicatiuus est in optimis **P.** et **G.** libris in uersu quamuis corrupto Her. X. 86:

Quis scit an haec saeuas tigridas insula habet.

Ita apud Lucretium VI. 45 (Lachm.):

Et quaecumque in eo fiunt fateare necessest.

apud Vergilium Ecl. V. 6:

Aspice ut antrum
Siluestris raris sparsit labrusca racemis.

Aen. VI. 614 sq.: ne quaere doceri — quae forma uiros fortunaue mersit.

Prae ceteris autem poetis posuisse promiscue in tali constructione uel indicatiuum uel coniunctiuum Propertium patet ex exemplis collectis apud Draegerum, *histor. Syntax* II². pag. 474. De aliorum poetarum huiusmodi usu uid. Heusinger ad Cic. Off. I. 26. 5; 7. 6. II. 5. 4. Fr. Leo, Obseruat. crit. de Senecae tragoediis, pag. 92 sqq.

---

1) Ad Hor. C. III. 7. 20. 2) Ad Ouid. Met. XIV. 20.
3) Progr. gymnas. Merseburg. 1882.

VNDE, ut Am. II. 7. 4, cet. cf. Gronov. Obseruat. IV. 11.

Vs. 5. FORSITAN—REQVIRAS; coniunctiuum recepimus cum Riesio ex *f.*, eumque indicatiuo *requiris* uel *requires* — ut rell. ll. praebent plerique — praetulimus, minime tamen facientes cum iis, qui, ut Heinsius ad Her. IV. 53, *forsitan* cum indicatiuo iungi ab Ouidio negant. Nam ut omittam eos uersus, in quibus una mutata littera ex indicatiuo coniunctiuus uel a librariis uel ab editoribus saepenumero est factus, complures sunt loci ubi indicatiuus post *forsitan* manifeste est positus, ueluti Her. II. 103:

— te iam tenet altera coniunx Forsitan —

ex Pont. III. 3. 33: Forsitan — comminuere —

Omnia quae apud Ouidium sunt huius rei exempla diligenter collegit A. Kunz, de Ouid. medic. faciei, p. 54 sq. [1])

ALTERNA CARMINA pro *elegi* ut Trist. III. 1. 11:

Clauda quod alterno subsidunt carmina uersu.

III. 7. 10: Aptaque in alternos cogere uerba pedes.

Vs. 7. FLENDVS AMOR MEVS EST cet. cf. Trist. V. 1. 5:

Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen,
Materiae scripto conueniente suae.

III. 1. 10: Carmine temporibus conueniente suis,
Clauda quod alterno cet.

Difficultatem autem praebet hic us. 7 satis magnam in uerbis ELEGI FLEBILE CARMEN, ut in omnibus fere codd. est traditum: quod quam peruerse a nonnullis editoribus pro perfecto uerbi *eligere* sit acceptum non opus est ut demonstrem. Pessime tamen rem suam egit *f.* codicis scriptor inserendo *quoque*, uerbum sensu hic carens, post *elegi*, nec profecto melius in *h.* est: *elegique flebile carmen.* *Elegeia* uel *Elegia*, ut est in libris aliquot recentioribus substitutum, placebat doctis et in recentiorum editionibus usque ad hunc diem omnibus legitur. Egregie uero

1) De *forsitan* particula et ab aliis poetis cum coniunct. et indicat. promiscue consociata cf. Leo, Obseruat. crit. de Senecae trag. p. 63.

nuper ostendit Baehrens [1]) uerbum illud tolerari hoc loco minime posse; etenim locos iam olim citari solitos Am. III. 1. 7: *Venit odoratos Elegeia nexa capillos*, III. 9. 3: *Flebilis indignos*, *Elegeia*, *solue capillos*, Rem. 379: *Blanda pharetratos Elegeia cantet amores* [2]) — ideo huc non facere, quod ibi *Elegeia* dea aliqua poeseos elegiacae apte fingeretur; cui fictioni in nostro uersu locum non esse: deam enim flebile carmen dici absurdum. Neque Ouidium, ubi solum genus poeseos indicaret, alia umquam uoce uti quam *elegi*, ueluti Rem. 395: *Tantum se nobis elegi debere fatentur, Quantum Vergilio nobile debet epos.*

Quodsi igitur optime demonstrauit Baehrens locum nostrum egere medela, tamen haud scio an nemini sit comprobaturus quam profert coniecturam:

Flendus amor meus est: elegi sunt flebile carmen,

qua languidior efficitur uersus ille, quem, ut mihi uidetur, tunc demum recte restitutum dixeris, cum *elegi* uerbum, in quo praecipua sit sententiae uis et grauitas, non in apodosi, quam uocant, sed multo efficacius in protasi sit collocatum: poetria enim non hoc debet dicere flendum sibi esse amorem suum — id quod quiuis sponte intellegit —, sed qua ratione, quo carminis genere, cum sit flendus amor, fletus illi effundi debeant, nempe carmine elegiaco, quod fletibus sit proprium. Quare scripsisse poetam statuerim:

Flendus amor meus est elegis: hoc flebile carmen.

Ceterum acer huius uersus exstitit impugnator Io. Val. Francke, in *Callino* pag. 43 sic disserens: »Illud certe haud neglexit »Ouidius ἔλεγον non esse omnino querulum, sed lugubre car»men. Aliter ille poeta (h. e. qui Sapphus scripsit epistulam) »hos ipsos Ouidii uersus (Am. III. 9. 3 sq., supra allatos) »habens ob oculos expressit peruersa imitatione." Quod quam

1) In „Rivista di filologia", XIII. 1—2. 1884. pag. 56.
2) cf. Martial. V. 30. 4. Stat. Silu. I. 2. 7.

peruerse iudicarit Francke, demonstratu est facillimum. Optime profecto elegos posse dici carmen querulum patet iam e notis Horatii uss. ab ipso Franckio citatis:

Versibus impariter iunctis querimonia primum, cet.

Neque praeteruidere debuit Francke locum huic nostrae epistulae uersui simillimum Hor. C. 1. 33. 1 sqq.:

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Quibuscum comparetur epigramma illud Dom. Marsi in Tibulli obitum:

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuuenem campos misit ad Elysios:
Ne foret aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Vs. 8. Non facit ad lacrimas cet. cf. Am. III. 11. 42:

Non facit ad mores tam bona forma malos.

Her. XIV. 56; Non faciunt molles ad fera tela manus.
Her. VI. 128; XV. 190. Trist. I. 10. 44.

Vs. 9. Comparatur amoris ardor cum messium et agrorum incendio, ut ab ipso Ouidio fit saepius, e. g. Met. VI. 455:

Non secus exarsit conspecta uirgine Tereus,
Quam si quis canis ignem supponat aristis.

Met. I. 492:

Utque leues stipulae demptis adolentur aristis,
Ut facibus saepes ardent, quas forte uiator
Vel nimis admouit, uel iam sub luce reliquit:
Sic deus in flammas abiit, sic pectore toto
Uritur et sterilem sperando nutrit amorem.

Vror vt —, cf. Her. VII. 15:

Uror ut inducto ceratae sulphure taedae;
Aenean animo noxque diesque refert.

Am. I. 1. 26: Uror et in uacuo pectore regnat Amor.

IGNEM EXERCENTIBVS EVRIS, h. e. huc illuc propellentibus, agitantibus, ut Met. VIII. 166: Maeandros exercet aquas; Met. XIV. 556: Naides exercent undas; Met. XIII. 921: exerceri aequoribus. INDOMITIS EURIS ut *Euri tumidi* Am. I. 9. 13, *Euris truculentior* Her. XI. 9; *Eurus proteruus* Her. XI. 14, *praeceps* Met. XI. 481, *trux* Met. XV. 603. *Indomitus* de igne Met. X. 370, de amore Fast. II. 585.

Vs. 11. pro CELEBRAT praeplacet Bentleii coniectura *celebras*, ut sit compellatio ad ipsum Phaonem, sicut ubique in nostra epistula, praeter uss. 87—92, ubi scilicet alia est eius rei causa, et us. 78, ubi tamen ab Heinsio (ad Her. XIV. 95) recte, ut mihi uidetur, pro *abest* propositum est *abes*.

TYPHOIDOS AETNAE dicitur ut Fast. IV. 491:

Alta iacet uasti super ora Typhoeos Aetne,
Cuius anhelatis ignibus ardet humus.

cf. Haupt ad Met. V. 346.

Vs. 12. ME CALOR AETNAEO NON MINOR IGNE TENET: pro TENET Heinsius ex aliquot Ciofani codicibus recepit *coquit*, collato Met. IX. 171 sq.: »Ipse cruor — stridit coquiturque ueneno." Sed codicum fere omnium lectionem *tenet* multo praestare patet uel inde quod optime ea respondet *celebrare* uocabulo us. 11.

Comparatio cum Aetnae montis ardore quam sit poetis Latinis familiaris notum est. Sic apud Ouidium [1]):

A. A. III. 490: Sed tamen Aetnaei fulminis instar habet.
Met. XIII. 868 sq.: Cumque suis uideor translatam uiribus Aetnam
Pectore ferre meo — -
Rem. 491: Quamuis infelix media torreberis Aetna,
Frigidior glacie fac uideare tuae.

1) Cum nostro loco comparetur praesertim Sen. Herc. Fur. 105 sq.:
— — — acrior mentem excoquat
Quam qui caminis ignis Aetnaeis furit.

Vs. 13. DISPOSITIS IVNGAM QVAE CARMINA NERVIS, quae iungam cum sono citharae meae, quae ad lyrae sonum cantentur, ut Met. V. 340: Atque haec percussis subiungit carmina neruis.
Met. XI. 5: Orphea percussis sociantem carmina neruis.
Met. I. 518: —— concordant carmina neruis.

PROVENIRE (us. 14), nasci, oriri, ut Ruhnkenius in comm. ad h. l. docet, a re rustica ad ingenium et eius opera transfertur. cf. Am. I. 3. 20:

Prouenient causa carmina digna sua.

Trist. I. 1. 39: Carmina proueniunt animo deducta sereno.

VACVAE CARMINA MENTIS OPVS cf. Am. I. 15. 2:

Ingeniique uocas carmen inertis opus.

VACVAE sc. sollicitudinibus, ut ex Pont. III. 1. 141: uacuissima domus Augusti.

Vs. 15 sq.: NEC ME PYRRHIADES METHYMNIADESVE PVELLAE,
NEC ME LESBIADVM CETERA TVRBA IVVANT.

Sic exhibet unus *f.* et receperunt editores fere omnes; ceteri libri inepte habent: *Nec mihi Pierides subeunt Naiadesque puellae* uel simile aliquid. A *Pyrrha* et *Methymna*, notis Lesbi urbibus, apte deriuari fem. *Pyrrhiades* et *Methymniades* doctissime demonstrauit Lennepius in comm. ad h. us. Πυῤῥιάς pro *femina Pyrrhae nata* legitur in inscriptione C. I. G. Boeckh. 852, nec quicquam refert Pyrrham ibi esse oppidum Thessalicum non Lesbiacum.

LESBIADVM (us. 16) pro *Lesbiacarum* fingitur ut e. g. *Lemniades* A. A. III. 672, Her. VI. 53. cf. Plin. N. H. XXXVII. 10. 62.

TVRBA IVVANT, ut est in *f. h.* paucisque aliis, uulgato *iuuat* praetulimus, memores quam frequenter Ouidius illa ad sensum quae dicitur constructione uteretur, e. g. Met. IV. 493, Fast. II. 657, III. 189. cf. Draeger, *hist. Synt.* I². pag. 173.

Vs. 17. VILIS ANACTORIE, VILIS MIHI CANDIDA CYDNO. De anaphora *Vilis-uilis*, ita ab Ouidio saepius adhibita, ut uoca-

bulum repetitum statim post caesuram haberet locum, copiosius egit allatis exemplis H. Schuetze, Quaest. Ouid. [1]) p. I. pag. 12.

De *uilis* uoce in re amatoria cf.

Her. III. 41: Qua merui culpa fieri tibi uilis, Achille?
Her. XII. 187. Si tibi sum uilis, communes respice natos.
Trist. V. 6. 22: Et uidear merito uilior esse tibi.

ANACTORIE, ut unus *f.* tradit, ueram esse lectionem comprobat Maximus Tyrius, a quo (XXIV. p. 478. Reiske) nominantur Sapphus amicae tres: Gyrinna [Gyrinno], Atthis, Anactoria; quocum conferatur Suidas u. *Σαπφώ: μαθήτριαι δ'αὐτῆς* Ἀνακτορία, [Ἀναγόρα] Μιλησία, Γογγύλα Κολοφωνία, Εὐνεῖκα Σαλαμινία.

CYDNO autem uel CYDRO, quod in codd. melioribus est scriptum, nusquam alibi inter Sapphus amicas enumeratam inuenimus; quare probanda fortasse mutatio a Bentleio proposita: *uilis mihi crede Gyrinno*; haec enim poetriae amica fuisse traditur a Max. Tyr., eamque nominauit ipsa Sappho fr. 78 (Bergk):

Εὐμορφοτέρα Μνασιδίκα τᾶς ἀπαλᾶς Γυρίννως.

Atthidem (us. 18) fuisse Sapphus amicam praeter Max. Tyr. l. l. tradit Suidas l. l. *ἑταῖραι δ'αὐτῆς καὶ φίλαι γεγόνασι γ'*, Ἀτθὶς Τελεσίππα Μεγάρα. cf. Sapphus fr. 41 (Bergk): Ἄτθι, *σοὶ δ'ἔμεθεν μὲν ἀπήχθετο* et Terent. Maur. 2154 sq. (VI. p. 390 K.):

Cordi quando fuisse sibi canit Atthida [Sappho]
Paruam, florea uirginitas sua cum foret.

Vs. 19 cum Iahnio Merkelio Riesio ex *f. h.* et editionibus uett. compluribus recepimus: QVAS NON SINE CRIMINE AMAVI, quam lectionem cur post Comparettii disputationem egregiam (l. l. pag. 43) impugnarit Baehrens (l. l. pag. 65) alterique: *quas hic sine crimine amaui* postposuerit ualde miror. Nam qui, ut Welcker [2]), Loers alii, *hic* defendunt negantes absurdius quic-

1) Progr. Progymn. Spandau. 1861.
2) „Sappho von einem herrschenden Vorurtheil befreyt." Gotting. 1816. pag. 121 sqq.

quam posse cogitari quam si Sappho, Phaonem ad amorem sui reuocatura, ei narret se turpissimo aliquo scelere socias et amicas suas amasse, praeteruident poetam, si reputasset quomodo talis rei commemoratione Phaonis pectus afficeretur, satius omnino fuisse ducturum rem tam obscenam silentio praeterire quam sine ulla necessitate uersum importuno illo *hic* uocabulo ridiculum admodum efficere. Loersium autem aliosque noto illo errore uidetur fugisse *sine crimine* minime ualere idem ac *sine scelere*, quamquam illud iam olim recte erat interpretatus Domitius Calderinus: *sine criminatione et reprehensione.* Hoc ergo dicit Sappho se, cum amaret eas puellas, incidisse in uulgi criminationem, i. e. se factam esse *infamem*: prorsus igitur idem quod ipsa dicit us. 201:

Lesbides, infamem quae me fecistis amatae [1]),

qui unus uersus iam per se satis manifeste ostendit genuinam esse lectionem: *quas non sine crimine amaui*, aut, ut a Burmanno et Bentleio — hoc, puto, consilio ut per rationem palaeographicam quomodo in codicibus illud *hic* esset natum explicarent — est coniectum: *quas, nec sine crimine, amaui.*

Ceterum operae est pretium animaduertere quantopere inter se concordent hi nostrae epistulae uss. 19 et 201 et locus apud Suidam u. Σαπφώ: ἑταῖραι δ'αὐτῆς γεγόνασι γ', Ἀτθὶς Τελεσίππα Μεγάρα, πρὸς ἃς καὶ διαβολὴν ἔσχεν αἰσχρᾶς φιλίας.

Quam frequenter autem Ouidius his *sine crimine* uerbis eo ipso uersus loco, h. e. in fine quarti pedis et in quinto pede hexametri, usus sit docet exemplis permultis A. R. Zingerle, *Ovidius und sein Verhaeltnisz* cet. I. pag. 17 sq.; quibus et alia possunt addi, ut Am. I. 3. 13. III. 4. 39. Her. IX. 137.

Crimine amavi: eiusmodi elisionis hoc us. loco multa exempla ex Ouidii carminibus collegit Eschenburg, *Metrische Untersuchungen zur Aechtheit der Heroides des Ovid.* [2]) pag. 6; 15.

1) Ubi *amatae* unam ueram esse lectionem suo loco erit demonstrandum.

2) Progr. Gymnas. Luebeck. 1874.

Vs. 20. IMPROBE, MVLTARVM QVOD FVIT VNVS HABES. cf. Her. XV. 94:

Multarum uotum sola tenere potes.

Improbe uerbum proprium in re amatoria, ut A. A. I. 665:

Pugnabit primo fortassis, et »improbe" dicet:
Pugnando uinci se tamen illa uolet.

Met. IV. 370: — »pugnes licet, improbe," dixit,
»Non tamen effugies."

Vs. 21. EST IN TE FACIES, SVNT APTI LVSIBVS ANNI. Idem fere uersus est Am. II. 3. 13: »*Est etiam facies, sunt apti lusibus anni*," unde minus recte olim est petitum argumentum hanc epistulam genuinum esse Ouidii opus, ueluti ab eo qui scripsit praefationem illam in cod. Harleiano, iam supra a nobis allatam. Simile aliquid est in quadam Ouidii Vita a Sedlmayero nuper in lucem protracta e codice saec. XIV [1]). Conferri cum nostro loco etiam possunt Am. I. 8. 33:

Est etiam facies, quae se tibi comparet, illi.

Rem. 23: Et puer es, nec te quicquam nisi ludere oportet.
Lude! decent annos mollia regna tuos.

Vs. 22. O FACIES OCVLIS INSIDIOSA MEIS. cf. Am. II. 17. 13:

O facies oculos nata tenere meos.

Am. I. 10. 10: Nec facies oculos iam capit ista meos.

Am. II. 19. 19: Tu quoque quae nostros rapuisti nuper ocellos.

et sic dicitur *amor insidiosus* Rem. 148.

Vs. 23. SVME FIDEM ET PHARETRAM, FIES MANIFESTVS APOLLO. De *sumere* pro *adsumere*, *sibi aptare*, ut *sumere alas*, *pennas*, apud Ouid. uide accuratam disputationem Heinsii ad Met. IV. 561. Elisio uero illa uerbi pyrrhichiaci in *m* exeuntis in arsi graui: »*fidem et*" non est quod offendat; quamquam enim in

1) In: „*Wiener Studien*". 1884. I. pag. 147.

octo Heroidum Epistulis indubitate genuinis non inuenitur, septiens tamen est in ceteris Ouidii distichis, octiens deciens in Metam.; cf. Eschenburg, *Metr. Untersuch.* cet. pag. 2; 13.

De *fide et cithara* Apollinis insignibus u. Met. X. 108:

Qui citharam neruis et neruis temperat arcum.

ex Pont. IV. 8. 75:

Utque neque ad citharam neque ad arcum segnis Apollo est.

et ita Apollo »*fide conspicuus*" appellatur Her. V. 139.

FIES MANIFESTVS APOLLO. cf. A. A. II. 493:

Haec ego cum canerem, subito manifestus Apollo —

ex Pont. I. 1. 63:

Ut mihi di faueant, quibus est manifestior Ipse.

Vs. 24. CORNVA—BACCHVS. cf. A. A. III. 348: *Insignis cornu Bacche.* Am. III. 15. 17: *Corniger Lyaeus.* A. A. I. 232: *Bacchi cornua.*

CAPITI collocatum in fine pentametri partis prioris, ut fere semper in distichis Ouidii: Her. XII. 20; Am. I. 9. 36; 14. 28; 32; 44; A. A. I. 568; 582; Rem. 68; Fast. I. 206; Ibis 446; 634.

Comparentur cum hoc us. 24: Met. XII. 400: — da colla caputque Castore dignus erit; Her. XIII. 156:

Adde sonum cerae, Protesilaus erit.

Cum uss. 23—24 comp. Propert. IV. 2. 31 sq.:

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.

De us. 24 seuere iudicauit Teuffel in hist. litter. Lat[3]. pag. 527: »der Brief der Sappho macht sich durch — Carikieren seiner [i. e. Ouidii] Eigenthuemlichkeiten und durch Plumpheit (z. B. v. 24, 93, 207. 49 f., 133 f., 144 ff.) sehr verdaechtig". Utrum uero Teuffel hoc loco sermonis rusticitatem reprehendat an quod, quae Ouidio sint propria, hic ridicule sint distorta et deprauata, non liquet. At exemplis supra allatis

demonstrasse mihi uideor nihil inesse in hocce uersu, quo tam graue iudicium defendatur.

Vs. 26. ILLA VEL ILLA pro *haec uel illa*, ut Am. I. 8. 84:

Et faciant udas ille uel ille genas.

Fast. V. 188: Conuenit in laudes ille uel ille tuas.

Vs. 27. PEGASIDES. cf. Met. V. 262; Trist. III. 7. 15: *Pegasidas undas*. cf. Propert. III. 1. 19:

Mollia, Pegasides, date uestro serta poetae.

Pegasides mihi carmina dictant, cf. Am. II. 1. 38:

Carmina purpureus quae mihi dictat Amor.

ex Pont. III. 3. 29:

Tu [Amor] mihi dictasti iuuenalia carmina primus.

Vs. 28. IAM CANITVR TOTO NOMEN IN ORBE MEVM. cf. A.A. II. 740:

Cantetur toto nomen in orbe meum.

Rem. 363: — dum toto canter in orbe.

Trist. II. 118; Am. I. 3. 25; 15. 8; 13.

Poetriae de se ipsa praedicatio apud eum quem amat, plane est e more Ouidii, qui quam saepe sit ita locutus docet A. R. Zingerle, *Ovid. und sein Verhaeltn.* cet. I. 85 sq.; *Martials Ovid-Studien*, pag. 28.

Vs. 29. CONSORS PATRIAEQVE LYRAEQVE. Sic ex Pont. III. 2. 82: *Consortes urbis*; Trist. V. 3. 47: *consortes studii poetae.* cf. Her. III. 47: — *consortes pariter generisque necisque.*

Pro SONET, us. 30, Burmannus Sec. ad Propert. III. 15. 40 proposuit TONET, quod iam Lennepius redarguit, cum hoc loco rectissime comparans Hor. C. II. 13. 24 sqq.:

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro —

Comparari etiam potest Rem. 375: Grande sonant tragici —

De Sapphone et Alcaeo aequalibus u. Strabo XIII. 2. 3, Suidas u. Σαπφώ, Hermesian. ap. Athen. XIII. c. 71 (us. 47); cet.

Vs. 32. INGENIO FORMAE DAMNA REPENDO MEAE. cf. A.A. II. 677:

Illae munditiis annorum damna rependunt.

Med. fac. 44: Ingenio facies conciliante placet.
cf. Peerlkamp ad Hor. S. I. 3. 72.

REPENDO correpta syllaba ultima defendit Lennepius in comm. ad hunc us. Et saepius quidem corripuisse *o* finale Ouidium constat, praesertim in disyllabis, breui maxime priore, ut *puto* Am. I. 12. 9; III. 11. 34; A. A. I. 370; saepius in Metam.; *nego* Am. I. 10. 64; *uolo* Am. II. 5. 54; *cano* ex Pont. III. 9. 35; *amo* Am. III. 14. 39; Rem. 648; *peto* A.A. II. 10; Met. VI. 352; cet. Longa syllaba priore correptum est *o* in *credo* ex Pont. I. 7. 56; *tollo* Am. III. 2. 26 [1]). In trisyllabis *o* breue est apud Ouidium in *nescio* [2]) Am. I. 14. 49; 10. 64; cet.; *confero* ex Pont. I. 1. 25; *odero* Am. III. 11. 35; *desino* Her. XVII. 203. [3]) cf. Luc. Mueller, de re metr. p. 337; B. Eschenburg, Obseruatt. crit. in Propertium (Diss. inaug. Bonn. 1865) p. 21.

Trisyllaba autem quae correpto *o* finali posuit Ouidius dactylica sunt omnia; contra nostro loco corripitur in amphibrachy [4]). Quam difficultatem, si qua est, tollit Bentleius [5]) leuissima mutatione legens:

Ingenio formae damna *repende* meae.

Nuper uero rectius etiam Baehrens, l.l. p. 50. n., monens possessiuum illud ad *ingenium* melius accedere quam ad *formam*

1) *esto* Trist. IV. 3. 72; *ergo*, *nemo*, *Naso*, *Sulmo* saepius cum *o* correpto.

2) Non enim cum synizesi legendum esse *nescio* docet Luc. Mueller, de re metr. p. 273.

3) Cf. Tibull. II. 6. 41. Corripuit *o* Ouidius etiam in *Gallio* ex Pont. IV. 11. 1; *Scipio* A. A. III. 410; *Curio* Fast. II. 527.

4) Neque enim recte a Merkelio receptum est Her. IX. 126: Fortunam uultu fassa *tegendo* suam; cf. Palmer ad loc.; Birt, ad historiam hexametri Lat. symb. (Diss. inaug. Bonn. 1876) p. 47. n. 1.

5) Idem coniecit nuper Bodenstein, l. l. p. 12, contra quem futilia admodum affert Ehwald in *Bursian's Jahresbericht* cet. X. 1882. 31. p. 182.

(ad quod addi post uersum priorem non esse necessarium), pro *rependo me(a)e* transpositis litteris emendauit:

Ingenio formae damna *repende meo.*

Sic enim aptissima exsistit sententia: »Si forma mihi negata est, damnum hoc repende ingenio, quod est meum."

Vs. 33a: *Nec me despicias si sim tibi corpore parua*
» 34a: *Mensuramque breuis nominis ipsa fero.*
» 33: Sum breuis, at nomen quod terras impleat omnes
» 34: Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Duo haec disticha exhibet unus *H.* Versus 33a—34a omittuntur in *f.* (et uss. 33—34 statim post 32 sunt in Excerptis Parisinis); in reliquis libris scripti sunt uss. 33a—34a, omittuntur 33—34. Editores recentiores praetulerunt plerique *f.* codicis auctoritatem nec receperunt uersus illos 33a—34a. Nuper uero Baehrens, l.l. p. 52 sq., inuento codice *H*(arleiano), utramque formam retinendam esse monuit: optime enim sic utrumque crimen et staturae breuis et fusci coloris (uss. 35—38) quaternis refutari uersibus, recteque uss. 33a—34a corporis mensuram paruam cum paruo *Sappho* nomine comparari — nimirum propter antithesin mox sequentem —. Statuit igitur Vir Cl. »in communi archetypo librarium a priore colo (34a) *nominis ipsa fero* oculis aberrasse ad alterum (34), errore autem animaduerso posterius distichon in margine a correctore esse adiectum: correcturam esse intellectam ab eo qui scripsisset *H.* codicis exemplar; in aliis archetypi apographis modo hoc modo illud distichon solum esse receptum."

Difficilior tamen uidetur mihi controuersia quam quae sic soluatur. Etenim etsi concedendum est illud et staturae et coloris crimen optime refutari quaternis utrumque uersibus, non tamen ueri est simile poetam in duobus tam arcte coniunctis distichis pentametros adhibuisse tantum non eosdem. Versum uero 34a ita explicare, ac si comparetur breuis feminae statura cum *Sappho* nomine, paucis tantum litteris constante, hoc qui-

dem nimis insulsum et inficetum mihi uidetur poetaeque nostri ingenio prorsus indignum.

Dignius profecto et conuenientius us. 34 dicit Sappho nomen sibi esse *quod terras impleat omnes* mensuramque eius nominis ferri a se ipsa, ut consimiliter ex Pont. I. 2. 1:

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.

Fast. I. 603: Magne, tuum nomen rerum est mensura tuarum.

Met. XII. 617 sq.: At uiuit totum quae gloria compleat orbem:
Haec illi mensura uiro respondet —

Her. IX. 109: Illi procedit rerum mensura tuarum.

Cum uero uersus 33ª—34ª ab interpolatore quodam esse additos — ut putabant editores plerique — ueri non sit simile, uersus tamen 34ª sic ut nunc est ferri nequeat nec concordet cum uss. 33—34 (quos utique esse genuinos uel e uetustissimis Exc. Paris. apparet), solui posse nodus hoc uno modo uidetur si statuas genuinum quidem esse distichon illud 33ª—34ª, uersum tamen 34ª foede esse corruptum, quippe in quo esset agendum de breuitate non nominis sed corporis, ut docet us. 33, ubi Sappho concedens paruam sibi esse staturam exclamat; *Sum breuis: at nomen* cet. Totius igitur loci sententia haec fere fuisse uidetur: »Noli me despicere quod sum corpore parua [1]), noli ingenium meum metiri ex humili mea statura. Corpore sum exiguo, fateor, sed nomen mihi est magnum et amplum, gloria mea per omnem terrarum orbem est celebrata: haec est mensura, qua metiri me debes."

Quomodo autem us. 34ª a poeta fuerit scriptus, nulla umquam coniectura quisquam assequetur. Cum enim librarii oculus ab hoc uersu ad sequentem pentametrum, similia uerba continentem, ita aberrauerit ut utrumque us. misceret, tota res tam misere est perturbata, ut in integrum restitui iam non possit.

---

1) Cum uss. 33a *Nec me despicias si sim tibi corpore parua* conferatur Pseudo-Ouid. de aurium medicamine (Seebodii Bibl. crit. 1829. n. 61; Kunz, l.l. p. 29) us. 1: *Ne tibi displiceam, quia sic sum corpore paruus.* Cf. Theodulf. Aurelian. Carm. II. 2. us. 31: *Nec tibi displiceant quoniam sunt corpore parua.*

Ceterum fuisse Sapphonem breui statura et fusco colore tradit Maximus Tyr. quoque XXIV. 472 (Reiske): μικρὰν οὖσαν καὶ μέλαιναν. Idem Schol. in Lucian. imag. XVIII.

Vs. 35 sq.: Candida si non svm, placvit Cepheïa Perseo
Andromede, patriae fvsca colore svae.

Similis locus est A. A. II. 643 sq.:

Nec suus Andromedae color est obiectus ab illo [Perseo]
Mobilis in gemino cui pede pinna fuit. [1]).

cf. Fast. III. 493:

Ut puto, praeposita est fuscae mihi candida pelex.

Perseo cf. Luc. Mueller, de re metr. p. 267; Met. I. 423; II. 689; V. 201; A. A. III. 457; cet. Cepheïa Andromede ut Am. III. 3. 17: *Cepheïa uirgo.* cf. Met. II. 235.

Comparetur cum hoc disticho Philodem. epigr. XV (Kaibel) — Anth. Pal. V. 132 — us. 7 sq.:

εἰ δ' Ὀπικὴ καὶ Φλῶρα καὶ οὐκ ᾄδουσα τὰ Σαπφοῦς,
καὶ Περσεὺς Ἰνδῆς ἠράσατ' Ἀνδρομέδης.

Vs. 37. Et variis albae ivngvntvr saepe colvmbae. Ex hoc us. Vossius et Vulpius ad Catull. LXVIII. 125 [b. 85] comparato illo Catulli loco mirifice sane efficiunt pullam columbam niueo coniunctam improbiora decerpere oscula quam faciant eiusdem coloris columbae. Quod quin recte refutarit Doering ad Catull. l.l. nullum est dubium.

Vs. 38. Et niger a viridi tvrtvr amatvr ave. Hunc uersum citat Kruse [2]) tamquam indicium ex quo effici possit Sapphus epistulam esse genuinum Ouidii opus, uerbis hisce: »Hunc us. scripsisse uidetur Ouidius psittaci memor, de quo uiridi turturis amico Am. II. 6. plures uersus leguntur. Per se

---

1) Cf. Gierig ad Met. IV. 667.
2) De Ouidii uita et operibus. Progr. Stralsund. 1857. pag. 16.

enim uersus ille obscurior: poetae illius elegiae memoria suppeditatus uidetur esse; imitator sine dubio psittaci nomen quoque posuisset." Sagaciter certe hoc a Krusio est obseruatum, quamquam num argumentum satis firmum inde peti liceat, dubito. Versus autem indicati sunt Am. II. 6. 12 sqq.:

Tu tamen ante alios, turtur amice [1]), dole [psittaci mortem].
Plena fuit uobis omni concordia uita,
Et stetit ad finem longa tenaxque fides.

Et de psittaco aue uiridi ib. 21:

Tu [i. e. psittace] poteras fragiles pennis hebetare zmaragdos.

Vs. 39—40: Si nisi quae facie poterit te digna uideri, Nulla futura tua est, n. f. t. e. comparentur cum Trist. II. 162 sqq.:

Quae, nisi te, nullo coniuge digna fuit;
Quae si non esset, caelebs te uita deceret,
Nullaque, cui posses esse maritus, erat.

Mira sunt quae ad hunc us. 40 adnotat Merula (in ed. Micyll. 1549. I. p. 206), conduplicationem eam non tam ad emphasin esse factam ab Ouidio, quam ut geminando eadem uerba proprietatem artis poeticae Sapphus indicaret: tradere enim Demetrium Phalereum gratiam ab ea carminibus esse quaesitam ἐκ τῆς ἀναδιπλώσεως.

Ego corruptum potius dixerim uersum, qui ut nunc est pentametri partibus priore et posteriore prorsus iisdem, nullo exemplo potest defendi [2]). Nec tamen possum facere cum iis qui hanc ob causam Ouidio indignam iudicarunt epistulam, nec rursus recte uidetur mihi contendere Bodenstein, l. l. pag. 12, uersum hunc aliquatenus posse defendi eo quod prior pentametri pars, ipsa constructione arctius cum hexametro suo coniuncta, paullulum saltem a posteriore sit distincta.

---

1) Cf. Plin. N. H. X. 74. 96.
2) Cf. Eschenburg, *Metr. Untersuch.* cet. p. 25. Palmer in edit. Her. Ouid. pag. VII.

Rectius fortasse pro *nulla* loco posteriore cum l_3. *m.* scribimus *ulla* et interrogationis signo in fine posito legimus:

Si — Nulla futura tua est, ulla futura tua est?

Sic enim sensus aliquanto certe fit melior et pentametrum habemus mori Ouidii consentaneum, qui saepissime utramque eius us. partem eandem, uno tamen utique uocabulo distincto finxerit, cuius rei exempla diligenter collegit Eschenburg, *Metrische Untersuch.* cet pag. 24 sq.

In Vs. 41 AT MEA CVM LEGERES, ETIAM FORMOSA VIDEBAR, qui sic in codd. plerisque est traditus — nisi quod multi pro *mea* praebent *me* — praeeunte Medenbachio Wakkero [1]) Baehrens l. l. pag. 57 optime statuit inesse uitium grauissimum: permirum enim esse ut dicatur Phaoni carmina Sapphus legenti [2]) ipsam puellam uisam esse pulcram; nam, ut ait Baehrens, quantumlibet pulcra sunt carmina, foedae per se faciei nihil illa lecta adiciunt decoris; nec Maximi Tyrii locus (l. supra all.) quicquam ad hanc quidem rem facit. Deinde uero uersus minor non nouam infert sententiam (ut Lennepius uoluit, sic disserens »non minus sermonem suum audienti quam carmina legenti placuisse Phaoni se affirmat Sappho"), sed arctissime cum hexametro cohaerens huius sententiam amplificat, ut ipsa distichi structura docet; ostendit et uox »iurabas" una fuisse Phaonem cum Sappho, et illud »loqui" hanc praelegisse amatori audienti. Inter praelegendum autem cum ipse furor pulcrum ignem oculis uultuique puellae instinctae adfunderet, potuit sane etiam quae deformis erat uideri formosa.

Rectissime igitur cum uiderit Medenbach Wakker tollendum esse uitium scribendo *legerem* pro *legeres*, iure tamen a Lennepio ei est obiectum hiatum sic effici in uersu non tolerandum. Quare multo melius est quod proposuit Baehrens:

---

1) Amoenit. litter. c. XIII. p. 115.

2) Illud *legeres* explicasse per *eligeres* Bad. Ascensium sine risu uix possumus memorare.

At mea cum legerem, ore etiam formosa uidebar,

quamquam et sic duplici illa elisione uersus fit minime elegans. Leniore mutatione et fortasse rectius posse emendari us. mihi uidetur, si admisso *legerem*, pro *etiam*, uocabulo quo carere optime possumus, e g_6 recipiamus *tibi iam*, itaque:

At mea cum legerem, tibi iam formosa uidebar.

Vs. 43. CANTABAM, MEMINI — MEMINERVNT OMNIA AMANTES. *memini* sic in parenthesi positum est saepius ab Ouidio, ueluti Am. I. 14. 50. II. 1. 11. A. A. II. 551. cet. — Cum *meminerunt omnia amantes* cf. Her. II. 7: Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes [1]); Her. V. 130: Unde hoc compererim tam bene quaeris? — amo.

De elisione *omnia amantes* hoc ipso uersus loco in Ouidii carm. frequenti uid. ad us. 19.

Vs. 44. OSCVLA CANTANTI TV MIHI RAPTA DABAS. Mira primo aspectu uideri possit locutio *oscula rapta dare*, cum *rapere* et *dare* inter se sint opposita, ut in Her. XIII. 120:

Multa tamen rapies oscula, multa dabis.

Nostro autem loco *oscula rapta* sunt ea quae uenia non impetrata »puellae non inuitae sed occupatae" [2]) rapiuntur. Eodem igitur redit *rapta dare* ac si dicas *raptim dare*; quod confirmatur uersu in Am. II. 4. 26:

Oscula cantanti rapta dedisse uelim.

Vs. 45. OMNIQVE A PARTE PLACEBAM. cf. Met. IX. 38: — omnique a parte lacessit. Met. X. 374: Quo cadat in dubio est, omnique a parte timetur. Fast. III. 377: Atque ancile uocat, quod ab omni parte recisum est. — Haec exempla sufficiunt quibus ostendam quam bene sese habeat lectio illa uulgata

1) Sic enim legendum esse, non, ut ex uno G. receperunt Merkel et Riese: *quae nos numeramus amantes*, ostendit Sedlmayer, *Krit. Commentar* cet. p. 14.

2) Cf. Gerh. Schroderus in Miscell. Obseruat. crit. Burm. et Dorvill. Tom. VII. p. 288.

omnique a parte, pro qua igitur nolui recipere cum Riesio ex uno *f*: *omni tibi parte.*

Vs. 46. Sed tvnc praecipve, cvm fit amoris opvs. cf. Her. IV. 69 sq.:

Tunc mihi praecipue, nec non tamen ante, placebas:
Acer in extremis ossibus haesit amor.

Cum amoris opvs cf. Am. I. 4. 47 sq.:

Saepe mihi dominaeque meae properata uoluptas
Veste sub iniecta dulce peregit opus.

A. A. II. 480: Arte Venus nulla dulce peregit opus.

Vs. 47—48. Tvnc te plvs solito lascivia nostra ivvabat Crebraqve mobilitas aptaqve verba ioco. cf.

Am. III. 14. 25 sq.: Illic nec uoces nec uerba iuuantia cessent,
Spondaque lasciua mobilitate tremat.

Fast. V. 331 sq.: Quaerere conabar, quare lasciuia maior
His foret in ludis liberiorque iocus.

Am. II. 4. 14: Spemque dat in molli mobilis esse toro.

iocus pro »lusus uenereus, ipsum amoris opus", ut A. A. III. 796: Nec taceant mediis improba uerba iocis.

Similiter *aptaque uerba ioco* dixit Ouidius A. A. II. 724:

Et dulces gemitus aptaque uerba ioco.

cf. Fast. IV. 868: Poscite blanditias dignaque uerba ioco.

Nihil igitur in hoc us. est mutandum; si tamen mutare quid liceret, ualde arrideret quod Heinsius e nonnullis codd. adnotauit: *aptaque membra ioco.*

Vs. 49—50. Et qvod, vbi amborvm fverat confvsa volvptas Plvrimvs in lasso corpore langvor erat. cf. A. A. II. 691 sq.:

Aspiciam dominae uictos amentis ocellos:
Langueat, et tangi se uetet illa diu.

Rem. 413 sq.: At simul ad metas uenit finita uoluptas,
Lassaque cum tota corpora mente iacent.

A. A. III. 793:

Sentiat ex imis uenerem resoluta medullis Femina —

Vs. 49. Et qvod, vbi primus, quod sciam, ita edidit Naugerius, quem secuti sunt editores plerique; codices mirum quantum uariant, ex quibus, si ad sententiam spectes, optimam certe praebet lectionem *f.*: *Ecquid ubi amborum* —. Heinsius uulgatum *Atque ubi iam amborum* — uel simile aliquid, eleganter sane mutare uoluit in: *Quique ubi iam amborum* cet.

Pro *confusa* Burmannus e codice suo Palatino recepit *consumpta*, collato Petron. c. 130: »uoluptatem tempore consumpsi." Optime tamen legitur *confusa uoluptas*; significare enim uult poeta hanc summam amantium uoluptatem, qua utriusque et corporis et animi sensus ueluti in unum coalescunt. cf. etiam A. A. II. 682 sq :

Quod iuuet ex aequo femina uirque ferant.
Odi concubitus, qui non utrumque resoluunt.

A. A. II. 727 sq.: Ad metam properate simul; tum plena uoluptas,
Cum pariter uicti femina uirque iacent.

De uss. 45—50 exstat iudicium Gruppii (*Minos* p. 497) hisce conceptum uerbis: »die Dichterin erinnert den Geliebten an die genossenen Liebesfreuden in einer Art, welche aller Weiblichkeit Hohn spricht, und hier glaube ich selbst ein dem Ovid nicht gehöriges Gedicht noch vertheidigen zu müszen. Ich halte vs. 45—50 für späteren Einschub, weil in der That dies Gedicht bei allen sonstigen Mängeln und Verdachtsgründen doch nicht auf diese Tonart angelegt erscheint, wie sich das z. B. v. 133 ganz deutlich zu erkennen gibt: *ulteriora pudet narrare* — es ist widersinnig dasz hier die Briefstellerin auf einmal schamhaft sein soll, während sie zuvor so durchaus schamlos gewesen, man sehe nur selbst v. 45 u. ff. nach, Verse welche zugleich sehr schlecht und ganz abweichend von dem Stil des Gedichtes ausgedrückt sind, z. B. *Sed tum praecipue cum fit amoris opus.* Auszerdem erinnert das *Ulteriora pudet*

narrare an Ars amat. III. 769: *Ulteriora pudet docuisse.* Diese Einschwärzung, welche man hoffentlich wird zugeben müszen, zumal da Sappho überhaupt nicht unter die Heroiden gehört — cet." At primum quod dicit Gruppe hos uersus feminam illam minime decere, obicere mihi liceat alios Ouidii locos huic nostro simillimos, conferaturque e. g. Her. XI. 35 sqq. (quae epistula ne a Gruppio quidem habetur spuria) ubi nimirum Canace multo etiam obscenius de se loquitur, quam hic Sappho; deinde uersus 45 sqq. cum us. 133 *Ulteriora pudet narrare* cet. pugnare minime, unusquisque qui paullo accuratius rem perspexerit, sentiet. Pessimos non esse hos uersus nec ceteris dissimiles exemplis e carminibus ipsius Ouidii allatis demonstrasse mihi uideor, quod ualet praesertim de us. 46: *Sed tunc praecipue, cum fit amoris opus*, quem uersum ingenio Ouidii haud indignum dicere uel contra Gruppium nullus dubito. Rectissime quoque comparari possunt uss. 49—50 cum Her. XIV. 42, si cum Palmero facias, peracute ibi emendante: *Quaeque tibi dederam, plena soporis erant*[1]).

Praeterea miro satis modo Gruppe dicit non pertinere Sapphonem ad Heroinas fabulosas. Nonne enim ipse Ouidius Am. II. 18, us. 26 epistulam Sapphus in numero »Heroidum" a se scriptam, Sapphonemque igitur a se cum Heroinis illis coniunctam esse diserte testatur? Monendum tamen est Gruppium (in *Aeaco* p. 144) totam illam elegiam Am. II. 18 Ouidio abiudicare: qua in re cum haud uerear ne quisquam illi assentiatur, iam non amplius commoremur, cum praesertim et alibi Sapphonem collocatam uideamus inter »Heroinas", ueluti apud Auson. Epigr. XC. 13; Cup. cruc. 24.

Easdem has ob causas minime esse assentiendum iudicio, quod de uss. 49 sq. fecit Teuffel (u. ad us. 24), non opus est ut pluribus ostendamus.

Vs. 51. NVNC TIBI SICELIDES VENIVNT NOVA PRAEDA PVELLAE. cf. Am. I. 2. 19:

1) Recte enim contra Shuckburghum defendit eam emendationem Sedlmayer, *Krit. Comment.* cet. p. 56.

En ego — confiteor — tua sum noua praeda, Cupido.

Am. II. 17. 5:

Atque utinam dominae miti quoque praeda fuissem.

De *uenire* uerbo cum datiuo casu coniuncto collectis Ouidii exemplis fusius egit Heinsius ad Her. IV. 113.

Vs. 52. QVID MIHI CVM LESBO? SICELIS ESSE VOLO! cf. Trist. III. 11. 55: Quid mihi cum Siculis inter Scythiamque Getasque? Her. IV. 107 sq.:

Hic tecum Troezena colam, Pittheïa regna:
Iam nunc est patria gratior illa mea.

Her. VI. 47 sq.:

Quid mihi cum Minyis, quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, nauita Tiphy, mea?

Ciofanus docte sane ad us. nostrum adnotat: »fingit Phaonem ita loquentem", quod aliter explicari nequit nisi statuendo Ciofanum hoc us. pro *Sicelis* legisse: *Siculus* (ut est in g_4). — Ad hunc us. amantis affectus tam praeclare indicantem inepte rogat K. Riedel (*Der gegenwärtige Stand der Sapphofrage* [1]), p. 11): »Ist nicht der Vers 52, der die angebliche Fahrt [der Sappho nach Sicilien] motivieren soll, hohnsprechend jeglicher Frauenwürde, ja geradezu abscheulich?"

E us. 52 comparato cum Chronico Pario XXXVI. 51, Welcker (*kl. Schr.* II. p. 82, 2) studuit efficere Sapphonem in Siciliam nauigasse ut Phaonem ibi commorantem adiret: quod certissimis argumentis potest refelli. Nam neque aliud quicquam indicat poetria uersu nostro nisi Lesbum insulam Phaone profecto non iam gratam sibi esse: illum patria sibi esse cariorem, illi omnia se postponere; nec recte putat Welcker in iis Chronici Parii uerbis: »Σαπφὼ ἐγ Μιτυλήνης εἰς Σικελίαν ἔπλευσε φυγοῦσα" — φεύγειν posse dici, etiamsi non in exilium esset

1) Qui libellus exstat in: *XII Jahres-Bericht des Realgymnasiums zu Waidhofen a. d. Thaya. Iglau*, 1881. p. 1—36.

missa Sappho, sed quamcumque ob causam reliquisset patriam. Etenim in breui et conciso dicendi genere eius Chronici φυγοῦσα nullo modo nisi per eminentiam quamdam illi ἔπλευσε uerbo potuit addi. Et esse poetriam reuera missam in exilium a popularium factione principatum in ciuitate tenente, cum uel ipsa uel affines partibus nobilium fauissent, nullo relicto dubio comprobauit A. Schoene, *Untersuch. ueb. das Leben der Sappho*, pag. 754 sqq.[1]).

Vs. 53. O VOS ERRONEM TELLVRE REMITTITE NOSTRVM. Utique erat recipiendum pro *nostrum: uestra*, ut in g_7. adscripsit man. 2. *Nostrum* enim perquam abundanter ad *erronem* accedere, *tellure* uero sic nude positum tolerari non posse demonstrauit Baehrens l.l. p. 57.

Th. Birt l.l. p. 388. n. 2 scribit: »In us. 53 ne uocis *erronem* audaciam premam, *tellure* tam praue superfluit, ut si hic esset Ouidius, corruptum locum esse dicerem." Tutius profecto egisset uir ille doctus, si reuera corruptum dixisset locum, quem tamen e g_7. nunc optime esse emendatum apparet. Audaciam uero illam *erro* uocabuli communem habet huius epistulae scriptor cum Tibullo (II. 6. 6): *Atque iterum erronem sub tua signa uoca* [*Amor*]. *Erro* enim, etsi proprie non est fugitiuus, sed is »qui frequenter sine causa uagatur et temporibus in res nugatorias consumptis serius ad dominum redit"[2]), in rebus amatoriis dicitur is qui aut amori ualedixit aut ad aliam puellam transfugit, idem igitur quod est *desultor*, e. g. Am. I. 3. 15: — non sum desultor amoris. cf. A. A. III. 436: Errat et in nulla sede moratur amor. A. A. II. 339: Dum nouus errat amor —. Her. XVIII. 96: — similis uento ne tuus erret amor; cf. Heinsius ad h. us. et Burmann. ad Anth. Lat. II. pag. 662.

Vs. 54. NISIADES MATRES NISIADESQVE NVRVS. *Nisiades* dictae

1) In Symb. philol. Bonnens. in hon. Ritschelii. Fasc. II. 1867.
2) Cf. Ulp. Dig. XXI. 1. 17; XLIX. 16. 4. 14. Hor. S II. 7. 113.

Megarenses et uniuerse Siculae propter conditam Megara urbem Siciliae ab incolis Atticae urbis Megarorum, quae et Nisaea dicta antiquitus est: cf. Lennepius ad h. us.; Meineke, hist. crit. com. Graec. p. 23. n. 1; A. Forbiger l.l. p. 1714 sq. Nec contra optimorum codicum fidem audiendus est Domitius Calderinus legens *Nesiades* — a νησιάς, insularis — quod cum Neside, Campaniae adiacente insula, uel cum Nesia regione circa Aetnam contulit.

De repetitione *Nisiades—Nisiades* uide ad us. 40 et 184. Ob oculos uidetur habuisse hunc us. poeta Epicedii Drusi us. 204:

Ausoniae matres Ausoniaeque nurus.

cf. Trist. II. 23: — *Ausonias* — *matresque nurusque;* Sic *matresque nurusque* Met. III. 529; IV. 9. *matrum nuruumque* Met. XII. 216. *matres nataeque nurusque* Fast. IV. 295.

Vs. 55. NEC VOS DECIPIANT BLANDAE MENDACIA LINGVAE. cf. Am. II. 9. 43/45: Me modo decipiant uoces fallacis amicae..... Et modo blanditias dicat.... Am. I. 8. 65: Nec te decipiant ueteres circum atria [1]) cerae; Am. III. 11. 21: Turpia quid referam uanae mendacia linguae? [cf. Aetna us. 367: Nec te decipiant stolidi mendacia uulgi].

Pro MONTES (us. 57) ut est in *f. h.* $g_4 . g_5 . g_6$, in codd. reliquis legitur IMMITES, quod a nonnullis, ueluti olim a Ciofano, est defensum. Sed recte eum redarguit iam Loers in comm. ad h. us., unamque ueram esse Francofurtani libri lectionem demonstrauit.

ERYCINA dicitur Venus, ut saepissime, ab Eryce monte, ubi et sedem et templum habebat celeberrimum: Met. V. 363 sq.; Am. II. 10. 11; A. A. II. 419 sq.; cet. cf. Riese ad Catull. LXIV. 72.

---

1) Recte enim uidetur mihi recepisse Riese emendationem illam Heinsii *circum atria*; Merkel cum P.: *quinquatria*.

Sĭcānos, syllaba prima correpta, producta altera, ut Hor. Epod. XVII. 32: — nec Sĭcāna feruida Virens in Aetna flamma; Verg. Aen. V. 24 — *portusque Sĭcānos*; — et sic saepissime. *Sīcănius* contra, prima producta, correpta altera: Met. V. 464; 495. XIII. 724. XV. 279. *Sīcănis* Ibis 596; cf. Heyne ad Verg. Aen. I. 557.

Vs. 58 — TVA SVM, VATI . . . . TVAE. Cur dicat se Sappho Veneris uatem perspicuum fit ex Trist. II. 365:

Lesbia quid docuit Sappho nisi amare puellas?

A. A. III. 331: Nota sit et Sappho, — quid enim lasciuius illa?

Rem. 761: Me certe Sappho meliorem fecit amicae.

Vs. 59—71. Longa haec calamitatum series, quam narrat poetria, et aliis Heroid. epistulis si quid aliud est propria, praesertim I. 87—96; VII. 111—137.

Vs. 59. AN GRAVIS INCEPTVM PERAGIT FORTVNA TENOREM. cf. Trist. V. 10. 11 sq.:

An peragunt solitos communia tempora motus,
Suntque magis uitae tempora dura meae?

Her. VII. 11 sq.: Durat in extremum, uitaeque nouissima nostrae
Persequitur fati, qui fuit ante, tenor.

Sic *fortuna tenax* ex Pont. IV. 6. 7. cf. Her. III. 43:

An miseros tristis fortuna tenaciter urguet?

Her. XVI. 14: Dumque tenor uitae sit sine labe meae.

fortuna grauis ut ex Pont. IV. 4. 5.

Vs. 60. ET MANET IN CVRSV SEMPER ACERBA SVO. Sic: fortuna est in cursu Met. X. 400; cf. ex Pont. IV. 11. 18: Dum dolor in cursu est; Met. XIII. 508: In cursuque meus dolor est. *acerba fortuna* ut ex Pont. III. 9. 30: fortunae species acerba.

Vs. 61. Parentem esse patrem Sapphonis non matrem collectum est ex ipsius poetriae fragmento XC (Bergk), ubi

ipsa matrem ut superstitem alloquitur. Fuisse patri Sapphus nomen Scamandronymum tradunt nobis Herod. II. 135, Aelian. V. H. XII. 19, Schol. Plat. Phaedr. p. 312 Be., Suidas u. Σαπφώ, quamquam is alia quoque nomina eius enumerat septem [1]), quod difficultatem olim praebuit haud paruam, donec praeeunte Neuio [2]) A. Schoene (in commentatione iam saepius cit. p. 737 sqq.) unum uerum esse Scamandronymum nomen nullo relicto dubio ostendit simulque quomodo cetera illa nomina uarias ob causas excogitata et apud Suidam recepta essent explicauit.

Ceterum adnotandum est praeter hunc locum a nullo ueterum scriptorum quicquam de praematura illa morte patris Sapphus nobis tradi.

Vs. 63. Arsit inops frater meretricis captvs amore. Cum Charaxus Sapphus frater meretricem illam amare incipiens eamque redimens [3]) non fuerit inops, sed postea demum factus sit, ut et us. 65: Factvs *inops* — luculenter docet, *inops* us. 63 recte se habere non potest apparetque id per scribentis errorem e us. 65 huc migrasse. Quod uidentes iam multi proposuerunt coniecturas: Francius uoluit *egens*, quod tamen eandem ob causam atque *inops* admitti nequit; Broukhusio placuit pro *inops*: *amans*, at repetitio illa *amans* - - - *amore* ferenda minime est. Bentleius audacter satis coniecit: *Carpsit opes frater* — sed et hoc quin recipiamus obstat us. 65: Factvs *inops* —. Neque admodum placet Oudendorpii coniectura, *inops* mutantis in *iners*, quamquam rectior certe est. Forsitan scripserit poeta: *Arsit mox frater meretr. c. a.*: *Mox* et *inops* inter se confundi in codicibus facile poterant, et optime, ni fallor, in enarranda longa illa miseriarum serie dicitur *mox* pro *deinde*, *postea*: »Praematura morte pater mihi est abreptus, *mox* (*deinde*) frater summo dolore et dedecore me affecit, *et* accumulat meas curas

1) Σίμων, Εὐνόνιμος, Ἠερύγιος, Ἔκρυτος, Σῆμος, Κάμων, Ἔταρχος.
2) In editione fragment. Sapph. pag. 1.
3) Herod. II. 135.

parua filia; ultima doloris causa tu accedis." Sic *primo* .... *mox* Met. I. 222. II. 336; 861, cet. *primum* .... *mox* Met. I. 581. VIII. 504. XIV. 73, cet. [1])

Iisdem, puto, rationibus adductus Baehrens l.l. p. 58 *inops* mutare uoluit, coniecitque *Arsit post frater* cet., quod cur praetulerit non uideo.

MERETRICIS CAPTVS AMORE cum Riesio recepimus e *f.* et aliquot Heinsii codicibus pro uulgato: *uictus meretricis amore,* quod Bentleius e codice Wittiano mutauit in *uinctus m. a.* Multo autem praestare mihi uidetur uetus illa lectio *captus* (quacum conferantur e. g. Her. I. 76: Esse peregrino captus amore potes. Fast. II. 585. Iuppiter indomito Iuturnae captus amore.

De fratre Sapphus — Charaxo — eiusque cum meretrice illa amoribus uid. Herod. II. 135, Athen. XIII. 69. Strab. XVII. 1. 33, cet.; de meretricis nomine u. Grauert (de Aesopo et fabulis Aesopicis [2]) p. 123 sqq.), qui cur uarie illud tradatur — Rhodopis uocatur ab Herodoto, ab Athenaeo Doricha — doctissime explicat ostendendo Doricham quidem fuisse genuinum feminae nomen, postea uero illam, cum uitae meretriciae se dedisset, posito Dorichae nomine, eleganti Ῥοδώπιδος uocabulo uenustissimam suam formam indicasse ac sub eo nomine magnam famam per omnem Graeciam sibi peperisse; cf. Strabo l.l.: *ἣν Σαπφὼ μὲν καλεῖ Δωρίχαν .... ἄλλοι δ'ὀνομάζουσι Ῥοδόπην* [Ῥοδῶπιν] et Suid. u. *Ῥοδώπιδος ἀνάθημα,* qui de Rhodopide agens scribit: *ἡ δὲ Σαπφὼ Δωρίχαν αὐτὴν καλεῖ* [3]), scilicet Sappho cum scorti auaritiam erga Charaxum fratrem carminibus increparet, profecto non superbo illo Rhodopidis nomine debebat uti, sed eo quo pristina illius seruilis atque humilis conditio palam pronuntiaretur.

---

1) Obiciat forsitan aliquis me uersum sic fingere ob metricas rationes Ouidio indignum. Sed cf. e. g. Am. I. 2. 49; 41; 3. 13. II. 2. 61. Her. V. 71. VI. 159 et multa similia exempla.

2) Bonnae, 1825.

3) cf. F. W. Richter, *Sappho und Erinna*, p. 5; Kock, *Alkaeos und Sappho*, p. 24.

Vs. 64. MIXTAQVE CVM TVRPI DAMNA PVDORE TVLIT. cf. Am. III. 7. 72: Tristia cum magno damna pudore tulit.

cf. Am. I. 13. 20; III. 3. 16; A. A. I. 186; Met. XI. 180; Trist. III. 8. 34; Fast. I. 60; cet.

Vs. 67. ME QVOQVE QVOD MONVI BENE MVLTA FIDELITER ODIT. cf. Herod. II. 135: *Χάραξος ὡς λυσάμενος Ῥοδῶπιν ἀπενόστησεν ἐς Μυτιλήνην, ἐν μέλεϊ Σαπφὼ πολλὰ κατεκερτόμησέ μιν.* [1])

BENE MVLTA cf. Trist. I. 7. 15 — *bene multa meorum*, ubi cf. Heinsius.

Vs. 68. HOC MIHI LIBERTAS, HOC PIA LINGVA DEDIT. Schneidewin inter argumenta, quae in Mus. Rhen. 1843 p. 143 profert ut demonstret hanc epistulam ab Ouidio non esse scriptam, unum habet quod refelli facillime potest, scilicet hunc us. desumptum uideri ex Propert. II. 28. 14:

Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.

Quam enim frequenter Ouidius Propertii elegiis sit usus, et quam multa ex iis desumpserit, res est notissima nec pluribus illustranda, cum praesertim A. R. Zingerle plurima huius rei exempla diligenter collegerit in: *Ovid. und sein Verhaeltniss* cet. Fasc. I.

Vs. 69. Riese e *f.* recepit: *Et tamquam desit quae me hac sine cura fatiget*; multo tamen praestare sensumque meliorem praebere mihi uidetur quod est in reliquis codicibus: ET TAMQVAM DESINT QVAE ME SINE FINE FATIGENT.

Quam autem frequenter Ouidius adhibuerit *sine fine* hoc ipso hexametri loco docet collectis exemplis Zingerle, *Ovid. u. s. Verh.* cet. I. pag. 18.

---

1) *μιν* i. e. Charaxum, non Rhodopidem; frustra enim ex Athenaeo XIII. 69 euincere studuerunt N. Bach (Annal. philol. et paed. I. 1826, p. 400) et Welcker (ibid. VI. 1828, p. 394) *μιν* ad meretricem esse referendum: cf. Baehr ad Herod. l.l., O F. Kleine in *Zeitschr. f. Alterth. Wissensch.* 1835, p. 188 sq.

Vs. 70. ACCVMVLAT CVRAS FILIA PARVA MEAS. cf. Fast. II. 122:

Maximus hic fastis accumulatur honor.

Her. II. 57: Turpiter hospitium lecto cumulasse iugali.

Met. XIV. 742: — cumulumque Capharea cladis.

Filiam — Cleidem uel Claidem — habuisse dicitur Sappho in Suidae lexico u. Σαπφώ; cf. huius epistulae us. 120:

»Quid dolet haec? certe filia uiuit", ait. [1])

Ipsa Sappho alloqui filiam uidetur fr. LXXXV (Bergk):

Ἔστι μοι κάλα πάϊς, χρυσίοισιν ἀνθέμοισιν
ἐμφέρην ἔχοισα μόρφαν, Κλᾶϊς ἀγαπάτα,
ἀντὶ τᾶς ἔγω οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδ' ἐράνναν. [2])

Haec saltem opinio est uulgo accepta: aliter nunc iudicat K. Sittl [3]) monens neminem qui Sapphicae orationis luxuriem nouerit, dubitaturum esse quin et Cleïs in discipularum numerum sit referenda, filia igitur illa fabulae sit propior quam historiae. Qua tamen in re num recte uiderit Sittl uehementer dubito, cum praesertim et Maximus Tyr. XXIV. p. 476 (Reiske) diserte tradat uersus nonnullos (fr. CXXXVI) a Sapphone ad filiam esse scriptos.

Cleis nomen matri quoque Sapphus fuisse traditur a Suida l.l. et in Epigr. Schol. Pindar. (ed. Boeckh. p. 8). At ueri est simillimum nomen illud non iam antiquitus fuisse cognitum, sed Sapphus filiae nomen ad eiusdem matrem esse translatum. [4])

Vs. 71. VLTIMA TV NOSTRIS ACCEDIS CAVSA QVERELIS. cf. Her. VII. 135:

Accedit fatis matris miserabilis infans.

Her. I. 95 sq.: Irus egens pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.

---

1) Non enim huc facit, quem citare solent, Maximus Tyr. XXIV. p. 474 (Reiske) cf. Bergk ad Sapph. fr. LXXXVI.

2) Quamquam patet ex his uersibus Cleidem illam a Sapphone flagranter amatam et pulcram ei uisam fuisse, minime tamen uideo quomodo ansam praebere potuerint illa Poestioni, ut scriberet (*Griech. Dichterinnen* p. 38): „Wir dürfen aus diesen Versen schlieszen, dass Kleïs mit den glänzendsten, vielleicht sogar auch poetischen Talenten und den besten Eigenschaften begabt gewesen sein musste."

3) *Gesch. der griech. Literat.* I (Monac. 1884) p. 326.

4) Cf. Neue in edit. fragm. Sapph. pag. 1. Schoene, l.l. pag. 740.

[cf. Epic. Drus. 76: Ultima sit fati haec summa querela tui].

Vs. 72. NON AGITVR VENTO NOSTRA CARINA SVO. Comparatione uitae humanae cum naui, quae est in cursu, saepius est usus Ouidius, ueluti Trist. III. 5. 54:

Naue mea uento forsan eunte suo.

Fast. IV. 730: — habent uentos iam mea uela suos. cf. Met. IX. 589; Trist. I. 1. 85. III. 4. 16, cet.

Vss. 73—76 comparandi sunt cum Med. Fac. 18—20:

Vultis inaurata corpora ueste tegi,
Vultis odoratos positu uariare capillos,
Conspicuas gemmis uultis habere manus.

Her. XIII. 31 sq.:

Nec mihi pectendos cura est praebere capillos,
Nec libet aurata corpora ueste tegi.

Vs. 73 — IACENT COLLO SPARSI SINE LEGE CAPILLI. cf. Fast. II. 772: Neglectae collo sic iacuere comae; A. A. III. 133: — non sint sine lege capilli; Met. I. 477:

Vitta coercebat positos sine lege capillos.

cf. Am. III. 9. 11. A. A. I. 541. Met. III. 169, cet.

Vs. 74. NEC PREMIT ARTICVLOS LVCIDA GEMMA MEOS. cf. Am. III. 13. 25: Virginei crines auro gemmaque premuntur.

articulos, ut iam apud Lucret. et Propert. pro *digitos*; cf. Am. II. 15. 4: Protinus articulis induat illa suis [annulum].

Ad us. 70, 72, 74 adnotauit G. Gebhardi [1]) bina substantiua eorumque attributa ita fere in iis pentametris esse disposita ut sibi inuicem responderent, quod ab Ouidio constanter esset uitatum. Quam uero parum recte id obseruarit Vir doctus facile patet et pluribus demonstrari superuacaneum.

Vs. 75. VESTE TEGOR VILI. cf. Met. VIII. 859: .... cum uili

1) De Tibulli Propertii Ouidii distichis quaestt. eleg. spec. p. 44 (Diss. inaug. Regimont. 1870).

turbatis ueste capillis. NVLLVM EST IN CRINIBVS AVRVM. Heinsius, Aduersar. 1742, pag. 66 nimis operose totiens de crinibus agere poetam obseruauit; coniecit igitur: *in cruribus aurum*, i. e. periscelida, genualia, ut Met. X. 593:

Poplitibus suberant picto genualia limbo.

Fast. II. 323: Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni uincula parua pedes.

Similiter Heinsius, Aduersar. l.l. et Burmannus pro *crinibus* maluerunt *cruribus* Her. XXI. 89:

Comuntur nostrae matre iubente comae:
Ipsa dedit gemmas digitis et *crinibus* aurum,
Et uestes humeris induit ipsa meis.

Ad quem tamen locum Heinsio recte obicit Lennepius aliud esse crines comere, aliud pexis iam et comptis aurum dare [aliud ornatos odoribus imbuere]. *Aurum* nimirum est στλεγγίς, crinale, cf. Am. III. 13. 25:

Virginei crines auro gemmaque premuntur.

Met. V. 52 sq.: .... ornabant aurata monilia collum,
Et madidos murra curuum crinale capillos.

Et sic explicandum uidetur *aurum* Am. I. 10. 61:

Scindentur uestes, gemmae frangentur et aurum.

Neue offendamur quod totiens de crinibus agit poeta, comparantes ex Pont. III. 3. 15 sqq.:

Nec torquem collo, nec habens crinale capillis,
Nec bene dispositas comptus, ut ante, comas.
Horrida pendebant molles super ora capilli.

et Tibull. I. 8. 9 sq.:

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Saepeque mutatas disposuisse comas.

Vs. 76 pro uulgato: NON ARABO NOSTER RORE CAPILLVS OLET, unus *f.* exhibet: *Non Arabum noster dona capillus habet* (*dona* etiam v_9. *n*), quod haud scio an sit praeferendum, quamquam in lectione uulgata nihil inest quod reprehendas. Frustra enim im-

pugnatus est ablatiuus *Arabo* pro *Arabe*, ut multis exemplis docuit Heinsius; cf. Charisius I. 99 K., Neue, *latein. Formenl.* I^2. pag. 134; 323; et *olere* cum casu ablatiuo recte coniungi constat uel e Met. V. 405: *olentia sulphure stagna*; quamuis improbante Diomede I. 319 K. Cf. Heinsius ad h. l. et ad Met. l. l. — Denique *Arabus ros* pro *myrrha* uel *nardo* est ut Tibull. III. 4. 28: *Stillabat Syrio myrtea rore coma*, u. Algermissen, Quaestt. Ouid. crit. [1]) p. 11 et Heinsius ad h. us.

Arabum dona autem comparat Heinsius cum Sen. Agam. 806: *Arabumque donis, supplice et fibra colam*, Oedip. 305: *Arasque dono thuris Eoi exstrue.*

Vs. 77. PLACVISSE LABOREM. cf. Her. XVII. 95:

Nunc etiam nando dominae placuisse laboro.

Sic Am. II. 2. 11. A. A. I. 35. Met. III. 565. X. 413. XIII. 285; 809. ex Pont. I. 3. 89.

De Heinsii coniectura *abes* us. 78 uide ad us. 11.

Vs. 79. MOLLE MEVM LEVIBVSQVE COR EST VIOLABILE TELIS. cf. Trist. IV. 10. 65 sq.:

Molle cupidineis neque inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque leuis causa moueret, erat.

ex Pont. I. 3. 32: Confiteor misero molle cor esse mihi.

LEVIBVS TELIS, ut Met. II. 414 *leue iaculum*; Met. XII. 570 *leuis sagitta*; opus igitur minime est ut cum Werfero facias, qui (Act. philol. Monac. I. IV. 503) e margine codicis sui Monac. (m_4) recipiendum esse monet pro *leuibus: teneris.*

COR cum syllaba sit breuis neque umquam producatur, recte in melioribus codicibus post *leuibus* adiectum uidemus *que*. Vulgata lectio, *que* omittens, olim permouit Heinsium, ut eleganti sane coniectura legeret: *leuibus iecur est u. t.* Sed comparatio cum Trist. V. 10. 65 supra cit. docet emendatione hunc locum non indigere.

1) Diss. inaug. Monast. 1879.

VIOLABILE adiectiuum cum apud Ouidium alibi non exstet, Werfer l. l. p. 504 e margine codicis sui (m_4) restituendum censet *penetrabile*, coll. Met. XII. 166: *quod iuueni corpus nullo penetrabile telo*. Sed uerbum *uiolare* pro *uulnerare* legitur ex Pont. III. 5. 45, Met. V. 226, et *uiolabilis* adiectiuum iam est apud Verg. Aen. II. 154, unde et hoc loco optime sese habere apparet. Sic *insatiabilis* est ἅπαξ εἰρημένον apud Ouidium, Ibis 172, item *reuolubile* Ib. 191, *uitabilis* ex Pont. IV. 14. 31; cet.

Ceterum adnotandum est Ouidium multo saepius quam qui ei antecesserint adiectiuis in — *bilis* exeuntibus cum longa antepaenultima syllaba ad quintum hexametri pedem esse usum; cf. Polle, in Annal. philol. CXVII. p. 639 sq., A. R. Zingerle, *Ovid. u. s. Verhaeltn.* cet. I. p. 14. L. Scheibe, de serm. Ouid. proprietat. [1]) p. 6.

Teuffel in hist. litter. Latin[3]. p. 527 de hoc us. 79 dicit: »der Brief der Sappho macht sich durch Nachahmung von Stellen Ovids (vs. 79 = Trist. IV. 10. 65 f.) sehr verdächtig". At minime hîc de imitatione quadam uersus Ouidiani esse cogitandum iam ex ipso us. 79 luce clarius apparet. Et quo tandem iure spurium possimus iudicare carmen, propterea quod inueniantur in eo uersus aliquot aliis ab Ouidio scriptis similes? Res enim est mehercle notissima quantopere Ouidius prae ceteris poetis Latinis amauerit in eadem fere re uerbis iisdem aut paene iisdem uti, uersusque suos saepius atque iterum in usum uocare. Cuius rei plurima exempla diligenter contulerunt Adler, de Ouid. Consol. ad Liu. [2]) p. 11, Riese, Praefat. in Ouid. I. pag. X. n. 3., A. R. Zingerle, *Ovid. u. s. Verhaeltn.* cet. I. p. 20—34, id. *kleine philol. Abhandl.* F. II. p. 18—24, W. Zingerle, *Untersuchungen* cet. p. 9 sqq. Quibus exemplis, si quid opus est, et alia possunt addi permulta, ueluti Met. X. 519: Labitur occulte fallitque uolatilis aetas.

---

1) Progr. Gymnas. Halberstadt. 1880.
2) Progr. Gymnas. Anclam. 1851.

Am. I. 8. 49: Labitur occulte fallitque uolubilis aetas.
Met. XIV. 814 sq.: »Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli[1])"
Dixisti; rata sit uerborum summa tuorum.
Fast. II. 487 sq.: »Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli"
Tu mihi dixisti: sint rata dicta Iouis.
Her. I. 51: .... uni mihi Pergama restant.
Met. XIII. 507: .... soli mihi Pergama restant.
cf. Met. IV. 795 cum IX. 10; Am. I. 3. 22 cum 10. 4; Am. I. 7. 7 cum Met. XIII. 2; A. A. III. 365 sq. cum Trist. II. 481 sq.; Fast. IV. 897 cum Met. II. 29; Fast. IV. 649 cum Met. III. 28; cet.

Non possum non citare hoc loco uerba Bodensteinii, iure exclamantis (l. l. p. 13): »Es ist ergötzlich, dasz die mehr oder weniger grosse Uebereinstimmung solcher Stellen, welche sonst mit Vorliebe als Beweis der Echtheit der angezweifelten Heroiden angeführt wird, hier einmal den Beweis für das Gegentheil liefern soll".

Vs. 80. Et semper cavsa est cvr ego semper amem. cf. Am. II. 4. 10: Centum sunt causae cur ego semper amem.
I. 3. 2: Aut amet, aut faciat cur ego semper amem.
cf. Prop. III. 15. 18: Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

Vs. 81. Sive ita nascenti legem dixere Sorores. cf. Trist. V. 3. 25 sq.: Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae
Stamina bis genito bis cecinere tibi.
V. 3. 14: Nubila nascenti seu mihi Parca fuit.
ex Pont. I. 8. 63 sq.: At tibi nascenti, quod toto pectore laetor,
Nerunt fatales fortia fila deae.

Sorores pro *Parcae*, ut Met. VIII. 452, XV. 781, Am. I. 3. 17. *legem dixere*, ut Met. XIII. 72: *legem sibi dixerat ipse.*

1) Hunc uersum ad uerbum desumptum esse ex Ennii annal. (us. 66. p. 12 Vahl.) notum est.

Vs. 82 e *f.* et aliis aliquot codd. recepimus: NEC DATA SVNT VITAE FILA SEVERA MEAE. Plerique exhibent: ET DATA cet., quod quin ex praue intellecto *seuera* uocabulo sit ortum non est dubium. Recte explicauit Lennepius *seuera fila* dici quae alienam ab amoris fructu uitam facerent, ut saepe seuerus opponeretur molli, uoluptatibus et amoribus dedito; cf.

Am. II. 10. 15 sq.: Sed tamen hoc melius, quam si sine amore iacerem:
Hostibus eueniat uita seuera meis.

Her. XVII. 63 sq.: Non sinit Endymion te pectoris esse seueri:
Flecte, precor, uultus ad mea furta tuos.

Heinsius in comment. ad h. us. proposuit *Nec rata cet.*, postea (Aduersar. III. c. 17. p. 542): *Et rata* cet., coll. Epic. Drus. 444:

Stant rata non ulla fila renenda manu.

cet. Sed *data fila* dicuntur optime, ut patet ex Trist. V. 10. 45 sq.: O duram Lachesin, quae tam graue sidus habenti
Fila dedit uitae non breuiora meae!

Vs. 83. ABEVNT STVDIA IN MORES. cf. Met. VIII. 254 sq.: Sed uigor ingenii quondam uelocis in alas Inque pedes abiit....

Elisionem *studia in m.* collectis exemplis Ouidianis defendit Eschenburg, *Metr. Untersuch.* cet. p. 5; 15.

Pro *artesque* (uel *artisque) magistras*, ut nulla satis idonea sententia exhibent codd., Heinsius olim proposuerat *artesque magistrae*, quod quamquam aliquatenus certe comprobatur codicis Exc. Paris. 7647 scriptura *artesque magistre*, durius tamen est quam ut placeat; careret enim sic us. 84 omni coniunctione — quem tamen a *siue* pendere manifestum. Neque ipse Heinsius permansit in ea coniectura; addidit enim in adnotationis suae fine: »Posset tamen et legi *artisque magistra*, ut ad Thaliam referatur". Praeclaram hanc emendationem, quam unam esse ueram constat inter omnes, Burmannus rectissime defendit comparatis A. A. III. 540:

Et facit ad mores ars quoque nostra suos.

et ib. 545 sq.: Scilicet ingenium placida mollimur ab arte,

Et studio mores conuenienter eunt.

uide etiam ad us. sequentem.

Vs. 84 denuo est unus *f.* qui pro uulgato *dedit* rectissime exhibet *facit*: INGENIVM NOBIS MOLLE THALIA FACIT. Sic: uino ingenium faciente, Met. VII. 432; cf. Met. XIV. 25 sqq.:

At Circe — neque enim flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium, seu causa est huius in ipsa,
Seu Venus .... facit hoc ....

Item Propert. II. 1. 3 sq.:

Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

De *Thalia*, rerum amatoriarum poetriae Musa, cf. A. A. I. 263 sq.: Hactenus unde legas quod ames, ubi retia ponas,
Praecipit imparibus uecta Thalia rotis.

Trist. IV. 10. 56: Notaque non tarde facta Thalia mea est.

Trist. V. 9. 31 sq.: Sic mea lege data uincta atque inclusa Thalia
Per titulum uetiti nominis ire cupit.

Fast. V. 54: — curuae scita Thalia lyrae.

cf. etiam Stat. Silu. V. 3. 98:

Et quis lasciua uires tenuare Thalia ....

Vss. 83—84 Bernhardy (in *Allg. Litt. Ztg. Sept.* 1833, pag. 132) acriter defendens lectionem *artisque magistras* Germanice uertit ita: »oder verlieh mir den Lebensberuf mein Geist, die Verwandschaft mit Thalia". Quod quid sit, intellectu profecto haud est facile.

Vs. 85. QUID MIRVM SI ME PRIMAE LANVGINIS AETAS ABSTVLIT cet. cf. Met. X. 614 sq.:

Nec forma tangor — poteram tamen hac quoque tangi —,
Sed quod adhuc puer est. non me mouet ipse, sed aetas.

AETAS PRIMAE LANVGINIS, ut Met. XII. 291: *prima tectus lanugine malas.* Ita et *dubia lanugo* Met. IX. 398:

Paene puer dubiaque tegens lanugine malas.

XIII. 754: Signarat dubia teneras lanugine malas.

Versum 85 σπονδειάζοντα collectis ex Ouid. carm. exemplis similibus contra Lehrsium (Prooem. in Horat. p. 239) defendit Eschenburg, *Metr. Untersuch.* cet. p. 21.

Abstvlit (us. 86), ut Her. VI. 131: o demens, Colchisque ablate uenenis; Her. XII. 36: Abstulerant oculi lumina nostra tui; cf. Rem. 343: Auferimur cultu ..... uid. Heins. ad us. 140.

anni qvos vir amare potest explicatur loco in Met. (X. 83 sqq.):

Ille etiam Thracum populis fuit auctor amorem
In teneros transferre mares, citraque iuuentam
Aetatis breue uer et primos carpere flores.

Vss. 87—92. Similis trium illarum dearum Veneris, Aurorae, Lunae enumeratio in re amatoria legitur A. A. III. 83 sqq.:

Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori,
Nec Cephalus roseae praeda pudenda deae.
Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis —

Vs. 87. ne pro Cephalo raperes, Avrora. cf. Her. IV. 95: Nec tamen Aurorae male se praebebat amandum [Cephalus]. cf. Met. VII. 704 sqq.

Et faceres, sed te ..... (us. 88) dictum est ut e. g. Met. VII. 144—146: Tu quoque uictorem complecti, barbara, uelles;

Sed te, ne faceres, tenuit reuerentia famae.

Her. XI. 31. Met. XV. 491; cf. et Tibull. I. 8. 21 sq.:

Cantus et e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.

prima rapina tenet respicit eandem fabulam quam Her. IV. 95: *Nec tamen Aurorae male se praebebat amandum Cephalus*; rursus Met. VII. 704 sqq. narrat Ouidius Cephalum, cum *inuitus* ab Aurora esset raptus, breui post uxori suae remissum esse.

Vs. 90. somnos continvare ut Fast. II. 54: *tempora continuare*, cet. — Eam fabulam sequitur poeta hoc loco, quam et Cicero Tusc. I. 38 est secutus, Endymionem a Luna esse con-

sopitum, ut eum dormientem oscularetur. Alii narrant Iouem, aut ipsius precibus commotum (Apollod. I. 7. 5), aut iratum, quod, in Olympum a se receptus, Iunoni uim facere esset conatus (Schol. Theocrit. III. 49), perpetuum somnum ei dedisse.

Vs. 93. O NEC ADHVC IVVENIS, NEC IAM PVER, VTILIS AETAS [1]. cf. Met. VII. 54: *Frater adhuc infans*; X. 615: *Sed quod adhuc puer est. non me mouet ipse, sed aetas*; XII. 464: *huic aetas inter iuuenemque senemque*; Fast. III. 773 sq.:

Siue quod ipse puer semper iuuenisque uideris,
Et media est aetas inter utrumque tibi.

cf. et Verg. Aen. XI. 70: *Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit.* NEC IAM PVER dictum est ut A. A. II. 93 et Met. VIII. 231: At pater infelix, nec iam pater.... Sic *paene puer* Met. IX. 398; ex Pont. IV. 12. 20.

Ausonio menti obuersatus esse uidetur hic uersus: in Mosella us. 129: *Qui necdum Salmo, nec iam Salar, ambiguusque* cet. uid. Lud. Tross in comment. ad Auson. loc.

Nihil uero in hoc us. inesse uideo, quod rustice Ouidioque indigne dictum foret, quare seuero illi iudicio a Teuffelio facto (uid. ad. us. 24) assentiri minime possum.

Vs. 94. O DECVS ATQVE AEVI GLORIA MAGNA TVI. cf. ex Pont. II. 8. 25:.... *saecli decus nostri*; Met. XII. 178:

O facunde senex, aeui prudentia nostri.

Trist. V. 2. 49: O decus, o patriae per te florentis imago.
Fast. VI. 810: O decus, o sacra femina digna domo.
Am. III. 15. 8: Pelignae gloria gentis.

Vs. 95. HVC ADES, ut Am. I. 6. 54; II. 12. 16; III. 2. 46 Trist. V. 3. 43, cet. INQVE SINVS RELABERE pro *celeri cursu reuertere*, ut Her. X. 149:

Flecte ratem, Theseu, uersoque relabere uento!

---

1) cf. A. A. II. 667: *Utilis, o iuuenes, aut haec, aut serior aetas.*

Vs. 96. Vitii signum ante lectionem VERUM VT AMARE SINAS posuimus, cum probare eam minime possimus. Etenim in sententiis illis inter se oppositis post *non ut ames oro* frigide admodum et languide sequitur *uerum ut amare sinas*, quod quin ludimagistro cuidam sit adscribendum potius quam poetae non dubium. Neque ob metricas rationes potest defendi us.; elisio enim illa syllabae in *m* exeuntis in posteriore pentametri parte, omnino a poetis Latinis plerisque uitata, ab Ouidio nusquam est adhibita. [1]) Qua tamen ex re minus recte nonnulli efficere uoluerunt hanc epistulam non esse genuinum Ouidii opus. Quaerenda potius erat uersui corrupto apta medela: nam corruptum esse uel e codicibus paullo accuratius inspectis apparet, quorum mirum quanta uarietate exhibent nonnulli *uerum ut*, plerique *sed ut* uel *sed quod*, pauci *sed te ut*, cet. Quod quomodo possimus explicare non uideo, nisi statuamus fuisse olim hoc loco lacunam, a uariis librariis uarie expletam, ita ut post *sed*, quod antiquitus fuisse uerisimile, uel *ut* — metri causa interposito *te* in v_8. *z.* — uel *quod* sine iusto sensu [2]) adderetur, uel temere interpolaretur *uerum ut*. Sic etiam uidebatur Heinsio, qui sustulit uitium coniciendo: *me sed amare sinas*. Baehrens, l. l. p. 58, ut lacunae origo intellegeretur maluit: *nos sed amare sinas*, et ita recte se habet uersus.

Potest tamen et hoc fieri ut efficacius multo, interpunctione graui ante *amare* posita, sit legendum *amere sinas*, et uersus fuerit olim conceptus in hunc modum:

Non ut ames oro . . . .; amere sinas. [3])

comp. Her. VIII. 24, XVII. 70 et I. 2, ubi recte est scriptum:

Nil mihi rescribas ut tamen; ipse ueni!

Inter *oro* et *amere* — hoc si sumimus — uocabulum aliquod

---

1) Luc. Mueller, de re metr. p. 330; Eschenburg, *Metr. Untersuch.* cet. p. 15.

2) Non enim recte id defendit Bersmann laudans Trist. V. 1. 16: *Praemoneo numquam scripta quod ille legat*, quo uersu, etiam si ibi constaret lectio citata, nihil tamen omnino comprobatum iri apparet.

3) Cf. *sine credat* Am. I. 8. 71; *sine errem* Am. III. 14. 29; *sine furta tegantur* A. A. II. 555; *sinite feram* Trist. 1. 2. 62.

uidetur excidisse, cuius uestigia reperiuntur in *uerum ut*. Quo indicio ductus legendum propono:

Non ut ames oro serus: amere sinas.

Serus enim est proprium quod hic conuenit uocabulum, ut similiter Her. XVI. 107:

Ad possessa uenis praeceptaque gaudia serus.

Her. II. 101 sq.:

Et tamen expecto. redeas modo serus amanti,
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.

cf. Verg. Aen. X. 94; Val. Flacc. III. 713; cet.

Indicium uero lectionis *amere* habeamus forsitan in *k*, exhibente *ameres sinas*, ubi *s* per scribentis errorem bis scriptum esse uerisimile.

Quod attinet ad sententiam huius us., conferantur Am. I. 3. 2 sq.:

Aut amet, aut faciat cur ego semper amem.
A, nimium uolui! tantum patiatur amari.

Am. III. 2. 57: Daque nouae mentem dominae, patiatur amari.

cf. Verg. Catal. XIII. 11:

Quare illud satis est, si te permittis amari.

Vs. 97. SCRIBIMVS ET LACRIMIS OCVLI RORANTVR OBORTIS. cf. Her. VII. 184 sq.:

Scribimus et gremio Troicus ensis adest:
Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem.

Eadem fere uersus pars est Her. VIII. 109: — lacrimis oculi rorantur obortis.

LACRIMIS OBORTIS saepissime sic dicit Ouidius: exempla collecta sunt a Zingerleio, *Ouid. u. s. Verhaeltn.* cet. II. p. 72.

Vs. 98. ASPICE QUAM SIT IN HOC MVLTA LITVRA LOCO. Nota res est quam frequenter Ouidius ita depingat scribentem, ut lacrimae ei obortae lituram faciant in scripto, cf. e. g.

Trist. III. 1. 15 sq.: Littera suffusas quod habet maculosa lituras,

Laesit opus lacrimis ipse poeta suum.

Trist. I. 1. 13 sq.: Neue liturarum pudeat: qui uiderit illas,
De lacrimis factas sentiet esse meis.

cf. Prop. IV. 3. 3 sq.: Siqua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
Haec erit a lacrimis facta litura meis.

ASPICE imperatiuo quam saepe in uersus initio sit usus Ouidius docent exempla collecta ab Huebnero, l. l. p. 179 [1].

Vs. 99—100 $g._7$ γ. a. n_1. q. l_2. optime scribunt.... MODESTIVS ISSES SI MODO DIXISSES cet.; ceteri omnes: ET MODO DIXISSES.... [MIHI *f.*], quod contra Iahnium defendere conatus est Loers; sed conf. Baehrens, l. l. p. 58. CERTVS cum infinitiuo coniunctus ut Her. VII. 7; 9. Met. X. 428, ex Pont. IV. 6. 9, cet. Cf. Trillhaas, *Der Infinitiv bei Ovid* [2]) p. 17; Bucht, l. l. p. 21.

Vs. 100 uerbis LESBI PVELLA utitur argumento W. Mure [3]) Sapphonem tunc temporis nondum nuptam fuisse, filiam igitur eius (us. 70) e legitimo matrimonio procreatam non esse. Mirandum est quod tam ridicule potuit errare uir doctus; res enim est notissima *puellam* apud poetas Latinos esse omnem feminam iuuenem, siue uirginem siue nuptam. Si quid opus sit exemplis, cf. Her. I. 115 de Penelope; IV. 2 de Phaedra; Fast. II. 810 de Lucretia, cet.

De forma *Lesbi* cf. L. Scheibe, l. l. p. 18.

Vs. 101. NON TECVM LACRIMAS, NON OSCVLA NOSTRA TVLISTI. *oscula nostra*, ut est in *f.* χ. ψ, recte recepisse mihi uidentur Merkel et Riese pro uulgato *oscula summa.* Nec mehercle hoc agitur — ut uoluit Loers — rectene per se possit dici *oscula summa* (cf. Trist. I. 3. 58: *Et quasi discedens oscula summa dedi*, et *suprema oscula* Met. VI. 278, Fast. IV. 851); sed quaerendum est quid toti sententiae sit magis aptum: quod quin sit *oscula nostra* me quidem iudice dubium esse nequit.

---

1) Ex quibus tamen excipienda sunt Am. I. 8. 31, ex Pont. III. 2. 92.

2) *Progr. Studienanstalt Erlangen*, 1877.

3) „*Sappho and the ideal love of the Greeks*" (Mus. Rhen. XII.) pag. 592.

Vs. 102. NON TIMVI QVOD DOLITVRA FVI. Hoc argute esse dictum exposuit Bentley ad Lucan. II. 27. Quid autem sit hoc loco *argute dictum*, uel quid commune habeat hic us. cum ceteris a Bentleio l. c. laudatis, non uideo. Hoc tantum uidetur dicere Sappho dolorem sibi accidisse inopinatum ideoque grauiorem; cf. Cic. Tusc. III. 23.

Vs. 103—104 sic ut scripsimus, optime restituit Burmannus. Codd.: *nec te Admoneat (Admonuit* cet.) *quod tu* —, quod frustra tentarunt explicare et defendere Naugerius aliique. *Pignus* uero, ut idem scripsit Burmannus, in deterioribus tantum aliquot codd. legitur; ceteri omnes habent *munus*, quod ideo recepit Riese, et mihi quoque uidetur praeferendum, quamquam, si ad sensum spectamus, *pignus* optime sese potest habere, ut docent exempla Ouidiana a Burmanno ad h. l. collecta.

De sexto hexametri pede *nec tu*, duobus monosyllabis constante, cf. Eschenburg, *Metr. Untersuch.* cet. p. 9; 17.

Cum us. 106 optime comparatur Verg. Aen. IV. 327 sqq.:

Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles, siquis mihi paruolus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta uiderer.

Vs. 107. PER TIBI, QVI NVMQVAM LONGE DISCEDIT, AMOREM. Optime *f. h.* cet. exhibent *discedit* pro uulg. *discedat.* Non enim est optantis, ut uolebat Heinsius — neque in exemplis ab Heinsio citatis Trist. II. 155, Am. III. 11. 46 coniunctiuus uidetur esse scribendus, sed indicatiuus —, sed aperte significat: »amor meus erga te, qui numquam abest, cuius immemor numquam sum". cf. Her. XII. 136: *Et qui me sequitur semper amore tui* (*comitata*). De *discedere*, uerbo in rebus amatoriis proprio, uid. Am. II. 18. 5, Rem. 243; 669, cet.

Vs. 108. NOVEM DEAS — NVMINA NOSTRA, cf. A. A. III. 347 sq.:

O ita, Phoebe, uelis! ita uos, pia numina uatum,
Insignis cornu Bacche, nouemque deae.

Met. XV. 622: — Musae, praesentia numina uatum.
numina nostra appositiue dictum ut e. g. Her. III. 105:

Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum.

Her. XIII. 159: Per reditus corpusque tuum, mea numina, iuro.

Vs. 110. NEC ME FLERE DIV NEC POTVISSE LOQVI. cf. Met. XIII. 538 sqq.: ..... Obmutuit illa dolore,

Et pariter uoces lacrimasque introrsus obortas
Deuorat ipse dolor —

Her. X. 43 sq.:

Iamque oculis ereptus eras: tunc denique fleui;
Torpuerant molles ante dolore genae.

Sic Met. X. 474: *uerbisque dolore retentis.*

Vs. 111. e *f.* receptum a nobis est: DEERANT ... VERBA PALATO, quod multo praestare apparet plerorumque codd. lectioni *lingua palato*; cf. Am. II. 6. 47: *stupuerunt uerba palato;* Met. VI. 583 sqq.:

...... Dolor orsa repressit,
Verbaque quaerenti satis indignantia linguae
Defuerunt. nec flere uacat. —

Versum: *Et lacrimáe deeránt oculís et uerba palato*, multis exemplis Ouidianis defendit contra Lehrsium Eschenburg, l. l. p. 22: quibus potest addi A. A. III. 707:

Ut rediit animus, tenues a corpore uestes —

Vs. 112. ASTRICTVM GELIDO FRIGORE PECTVS ERAT. cf. Fast. I. 98: Et gelidum subito frigore pectus erat.
Fast. II. 754: .. gelidum pectora frigus habet.
Trist. II. 196; III. 4. 48, A. A. I. 361, cet.

Vs. 113. POSTQVAM SE DOLOR INVENIT. Merito haec uerba uiris doctis displicuerunt, ita quidem ut argumentum inde su-

merent quo demonstrarent carmen ab Ouidio esse abiudicandum. Quapropter operae pretium est ut de hoc loco accuratius disseramus.

Primum uituperandus est uersus ob metricas rationes, quippe qui contineat duplicem — post secundam simul et quartam arsin — caesuram, cuique insuper pes primus uocabulo constet spondaico, quod nullo exemplo defendi potest [1]). Tum sententia uerbis idonea non inest. Etenim, ut recte obseruat Baehrens, l. l. p. 59, Latine non dicitur *dolor se inuenit*, sed *dolor inuenit iter.* Comparati uero a Gronouio (obss. II. 21) Petron. 47 *nec medici se inueniunt* et Seneca de benef. V. 12 *minusque se inueniunt* [2]) peculiare argenteae Latinitatis genus dicendi sequuntur, significatione a nostro loco alienum. Altera autem lectio, quam exhibet *H.* cum aliis quibusdam, *Postquam se dolor imminuit*, aeque est reprehendenda. Nam et metrum eodem laborat uitio, et uerborum sententia proposito plane est contraria. Non enim hic agitur de dolore paullatim imminuto, sed de animi affectu tam acri et uehementi, ut poetria desperationis plena pectus plangat scissisque crinibus maestos edat ululatus. Eiusmodi autem dolorem uiolentum et effrenatum comparari ab Ouidio obseruat Baehrens cum amne magno impetu currente: ex Pont. IV. 11. 18: *dum dolor in cursu est*; Met. XIII. 508: *in cursuque meus dolor est* (Sil. Ital. VIII. 209: *undantes aegro frenabat corde dolores*). Restituere igitur uult locum scribendo:

Postquam se dolor *inmisit* cet.

Sed, pace V. Cl. dixerim, ne sic quidem res expedita mihi uidetur. Quod enim ad metrum attinet, nihil proficimus: manet eadem uersus forma, quam ferri non posse supra ostendi. Praeterea autem non crediderim uerba *dolor se immisit* sic absolute posita recte sese habere; nam cum egregie dicatur »medios se immisit in hostes" et similia, nudum illud *se immittere* nullo, quantum scio, exemplo comprobatur.

1) Cf. Birt, Mus. Rhen. XXXII. p. 390. Eschenburg, *Metr. Unters.* p. 11; 19.

2) Cf. Petron. 119, 24: quaerit se natura neque inuenit.

Fortasse et metro et sententiae bene consulitur, si scribimus:

Postquam se torpor minuit cet.

Similiter Lucan. III. 741 sq.:

Ut torpore senex caruit, uiresque cruentus
Coepit habere dolor —

Fauet autem huic lectioni quod *minuit* (ut est etiam in c_1. ρ.) facile in codd. poterat corrumpi in *inuenit; dolor* uero postea pro *torpor*, scilicet metri restituendi causa esse scriptum, non audax mihi uidetur coniectura.

NEC PECTORA PLANGI NEC PVDVIT SCISSIS EXVLVLARE COMIS. Scripsimus ut est in *f.*, comparato Her. XI. 91 sq.:

Exierat thalamo. Tunc demum pectora plangi
Contigit inque meas unguibus ire genas.

De pectore plangendo scindendisque capillis conferantur e. g. Her. V. 71; 79; X. 145; cet. Burm. ad Her. X. 16.

EXVLVLARE ut Met. IV. 521; VI. 597; cet.

Vs. 115 sq.: Eadem comparatio cum matre filii funus lugente est Trist. I. 3. 97 sq.:

Nec gemuisse minus quam si nataeue meumue
Vidisset structos corpus habere rogos.

Cum us. 116 comparentur:

Am. III. 9. 6: Ardet in exstructo corpus inane rogo.

Ibis 150: Et dare plebeio corpus inane rogo.

Fast. III. 546: Arserat exstructis in sua fata rogis.

Quam autem frequenter Ouidius in instituenda comparatione adhibuerit uerba: *Non* (*Haud*) *aliter quam*, patebit ex exemplis, quae cum sint in indicibus Ouidianis plane omissa uel pauca admodum citata, adscribere mihi liceat omnia: Her. XVII. 134; Met. II. 623; III. 373; 483; 661; IV. 122; 348; VI. 516; VIII. 762; IX. 46; 205; 643; X. 64; 595; XI. 330; XV. 553; Trist. I. 3. 73; IV. 10. 79; ex Pont. I. 9. 17; Fast. II. 209.

Vs. 117. CRESCIT E MAERORE Heinsius explicauit citans glossarium MS. bibliothecae Vossianae: *ouare*: *gaudere*, *crescere*; cf. Sen. Ep. XXXIV: *Cresco et exsulto et discussa senectute recalesco.* Liu. II. 27. 7: *saeuire inde utique consulum alter patresque, sed plebi creuerant animi.* Ita *crescere ex inuidia* Cic. Cluent. 28. 77. *cr. ex aliquo* Liu. XXVII. 35; XXIX. 37; XXXV. 19. Sic *pasci* Met. VI. 280:

Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore.

Am. I. 15. 39: Pascitur in uiuis Liuor; post fata quiescit.

Et *gliscere* Stat. Theb. VIII. 754 sqq.: . . . laeuaque receptum
Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis
Lumina torua uidens —

cf. Burmann ad h. us. — De *Charaxo* uide ad. us. 63.

Vs. 118. ITQVE REDITQVE, cf. Trist. V. 7. 14:

Per medias in equis itque reditque uias.

Qui dicendi modus quantopere poetis Latinis fuerit in deliciis docet C. Rossberg, de Dracontio cet. (Nordae, 1880) p. 17. Apud Ouidium aeque legitur: *refluitque fluitque* Met. VIII. 163; *refouentque fouentque* Met. VIII. 537; *fertque refertque pedes* Fast. VI. 334; *fersque refersque* Trist. I. 7. 6; cf. *Ut redit itque frequens* A. A. I. 93, Met. II. 409.

Vs. 121. NON VENIVNT IN IDEM PVDOR ATQVE AMOR. Saepius Ouidium pudori et decori sic opponere feruentem amorem docent: Am. III. 10. 28:

Hinc pudor, ex illa parte trahebat amor.

Met. I. 618 sq.: — pudor est qui suadeat illinc,
Hinc dissuadet amor —

Her. IV. 9 sq.: Qua licet et sequitur pudor est miscendus amori.
Dicere quae puduit, scribere iussit amor.

ib. 154. . . . . quid deceat non uidet ullus amans.

Her. XVIII. 173:

Nunc male res iunctae, calor et reuerentia, pugnant.

Cum us. 122: — LACERO PECTVS APERTA SINV cf. Fast. I. 408:

Altera dissuto pectus aperta sinu.

Vs. 123. — TE SOMNIA NOSTRA REDVCVNT, cf. Her. VII. 26:

Aenean animo noxque diesque refert.

Her. VIII. 66: Nam tu cum somno semper abire soles.

Vs. 124. SOMNIA FORMOSO CANDIDIORA DIE. Ingeniose ad hunc us. adnotat Baehrens, l. l. p. 59: »Puella bonis in amore fatis utens gaudensque amati praesentia de formoso die et noctis somniis candidioribus recte uereque loquitur, non item Sappho deserta, cui breuem felicitatem praebent tenebrae adimitque rursus sol rediens; cf. u. 135: *at cum se Titan ostendit et omnia secum, Tam cito me somnos destituisse queror*. Nam si uelis explicare 'quam quilibet formosus dies', acumen nullum et sententia perquam frigida adest". Proposuit igitur Baehrens:

Somnia *nimboso* candidiora die.

Sic sententiam effici multo meliorem quam si codicum lectionem *formoso* retineas. Ad hanc autem tuendam frustra solent citare editores locum minime huc facientem, Her. XV. 318:

Candidior medio nox erit illa die.

Vs. 125. ILLIC TE INVENIO QVAMVIS REGIONIBVS ABSIS. Impugnauit hunc us. Theod. Birt (loco iam saepius citato) contendens *quamuis regionibus absis* ab imitatore quodam desumptum esse e Met. XII. 41: *quamuis regionibus absit*, quippe ubi pluralis *regionibus* proprium suum haberet sensum. At eodem prorsus modo quo hic, pluralis ille legitur Met. VI. 459: *pronumque genus regionibus illis*, i. e. in Thracia, Met. X. 306: *Gratulor huic terrae quod abest regionibus illis*, i. e. ab Arabia, uel potius a Panchaea, Arabiae parte. (cf. quoque Met. VII. 223).

Ceterum quam sit caute iudicandum de pluralis, sine proprio eius numeri sensu, apud poetas Latinos usu, luculenter docet Hultgren, *die Technik der roem. Dichter im episch. u. eleg.*

Versmasz (Annal. phil. et paed. CVII. 1873.) p. 759 sqq. [1]).

Vs. 126. SED NON LONGA SATIS GAVDIA SOMNVS HABET. cf. Met. IX. 485 sq.: — quamuis breuis illa uoluptas,
Noxque fuit praeceps et coeptis inuida nostris.

Her. XVIII. 65 sq.:

Me miseram, breuis est haec et non uera uoluptas,
Nam tu cum somno semper abire soles.

cf. Her. XVII. 114 sq. et lepidam illam elegiam de nocte amantibus nimis breui Am. I. 13.

Vs. 127. SAEPE ... ONERARE LACERTOS, cf. Am. II. 16. 29 sq.:

Tu nostris niueos humeris impone lacertos:
Corpore nos facili dulce feremus onus.

Am. I. 4. 35: Nec premat impositis sinito tua colla lacertis.

Vs. 128. SAEPE TVAE VIDEOR SVPPOSVISSE MEOS, cf. Am. III. 7. 10: Lasciuum femori supposuitque femur.

Her. XIII. 106: Quarum suppositus colla lacertus habet.

De crebro Ouidii usu pentametri partem posteriorem ita ordinandi, ut infinitiuo perfecti et uocabulo iambico uel pyrrhichio constet, cf. Huebner in Herme, XIII. p. 215 sq., Eschenburg, *Metr. Untersuch. cet.* p. 28.

Vs. 129. OSCVLA ... COMMITTERE LINGVAE. *committere* pro *iungere*, *nectere*, ut Am. I. 4. 43: *femur femori committere*. Her. II. 31: *dextram dextrae committere*. Pueriliter rogat Bodenstein, (*Studien* [2]) cet. p. 10. n. 3): »Was soll der Ausdruck *oscula linguae committere* bedeuten? Hat die Zunge mit dem Kuss etwas zu thun? Wohl kaum". At profecto quid sit rei linguae cum osculis docet nos ipse Ouidius locis plurimis, ueluti:

Am. II. 5. 23 sq.:

Improba tunc uero iungentes oscula uidi:
Illa mihi lingua nexa fuisse liquet.

Am. III. 7. 9: Osculaque inseruit cupide luctantia linguis.

---

1) Cf. C. G. Jacob, de usu numeri plur. ap. poet. Lat. (Numburgi, 1841), p. 7 sqq.
2) *Studien zu Ovids Heroides*. Progr. Domgymnas. Merseburg, 1882.

Am. III. 14. 23: Illic purpureis condatur lingua labellis.
Am. II. 5. 57 sq.: .... quod tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.
oscula apta (us. 130) quae sint docet e. g. Tibull. I. 4. 53 sq.:
Tunc tibi mitis erit: rapies tunc cara licebit
Oscula; pugnabit, sed tamen apta dabit.

Vs. 132 VIGILANT SENSIBVS ORA MEIS locutionem uocat ridiculam Theod. Birt, l. l. p. 388. n. 2, recte tamen ipse interpretatus (ib. p. 431): »fruitur amatoriis somniis puella ita ut 'uigilent sensibus ora". Mihi uero locutio illa minime uidetur ridicula, sed simplex et perspicua recteque a Terpstra (in comment. ad h. us.) explicata: »Ora, sensibus meis indulgentia, sola uigilant, reliquo corpore sopito. Per somnum os animi sensa profert, loquor cum Phaone dormiens, ac si uigilem".

Vs. 133 recte pro uulgato VLTERIVS PVDET HIC [HAEC] NARRARE in *f. q.* est scriptum VLTERIORA PVDET NARRARE, ut A. A. III. 769: *Ulteriora pudet docuisse* —; Fast. V. 532: — *pudor est ulteriora loqui.* Cum tota sententia comparetur Her. XVIII. 63 sq.: Multaque praeterea linguae reticenda modestae,
Quae fecisse iuuat, facta referre pudet.
De *iuuare* uerbo in re amatoria proprio uid. A. A. II. 681 sq.:

Illis sentitur non irritata uoluptas;
Quod iuuet ex aequo femina uirque ferant.

A. A. III. 803: Quam iuuet, et uoces et anhelitus arguat oris. cf. Am. I. 4. 67—68; 10. 31; A. A. II. 308; cet.

Lectionem in plerisque codicibus traditam: ET IVVAT ET SINE TE NON LICET ESSE MIHI omnium maxime esse ieiunam neque in tali summae uoluptatis descriptione posse tolerari, optime uidit Burmannus, qui ideo e *f.* cod. quamquam '*inuito pudore*' noluit recipere:

Et iuuat et siccae [1]) non licet esse mihi;

comparauitque cum hoc loco A. A. II. 685 sq.:

Odi quae praebet quia sit praebere necesse,
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.

Prop. II. 12. 17: Quid tibi iucundum est siccis habitare medullis?
Martial. XI. 81. 1:

Cum sene communem uexat spado Dindymus Aeglen
Et iacet in medio sicca puella toro;

et oppositum *uda puella*, Martial. XI. 16. 7 sq.:

Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella legas, sis Patauina licet.

(cf. Heins. ad Petron. XXXVII).

Facile tamen intellegitur uiros doctos exstitisse haud paucos, qui hoc loco Burmannum »*ubique nequitias uenantem*" reprehenderent, minimeque uellent admittere obscenam illam lectionem. Quam neque ego conabor defendere; rectius enim pulcriusque uersum emendatum iri confido si ex *H.* ς, pro *licet* legerimus *libet* et Hoeufftii [2]) receperimus coniecturam, pro *non* pereleganter scribentis *sic*, itaque:

Et iuuat et sine te sic libet esse mihi.

Hoc enim modo sententia efficitur acuminis uere Ouidiani plena, simulque quî mirum illud *siccae* in *f.* irrepserit satis explicatur. (cf. etiam Her. XIII. 107 sq.; XVIII. 57 sq.; ex Pont. I. 2. 49 sqq.).

Post ea, quae supra dixi, uix opus est addere minime me assentiri iudicio de uss. 133—134 a Teuffelio (uid. ad us. 24) facto.

Vs. 135. TITAN SE OSTENDIT; cf. Trist. V. 4. 8:

Ostendi solem postulat ille sibi;

cui oppositum Fast. II. 786:

Condere iam uultus sole parante suos.

1) *Siccae* enim est in *f.*, non-ut putabat Burm. — *sicca*.
2) In *Periculis criticis*. (Bred. 1807) p. 65.

Vs. 137. Antra nemvsqve cet. cf. A. A. II. 623: *In nemore atque antris . . . iuncta uoluptas.*

tamqvam nemvs antraqve prosint: Conscia cet.: Sic inter amoris remedia Ouidius praecipit Rem. 725 sq.:

Et loca muta nocent. fugito loca conscia uestri
Concubitus: causas illa doloris habent.

Vs. 137—150 tantopere conueniunt cum simili descriptione Her. X. 43—56, ut totum illum locum hic adscribere liceat:

Iamque oculis ereptus eras. Tunc denique fleui:
Torpuerant molles ante dolore genae.
Quid potius facerent, quam te mea lumina flerent,
Postquam desierant uela uidere tua?
Aut ego diffusis erraui sola capillis,
Qualis ab Ogygio concito Baccha deo:
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi,
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambos,
Sed non acceptos exhibiturus erat,
Et tua, qua possum, pro te uestigia tango,
Strataque quae membris intepuere tuis.
Incumbo, lacrimisque toro manante profusis
'Pressimus' exclamo 'te duo. redde duos —

Vs. 139. Illvc mentis inops cet., cf. Fast. IV. 457 sq.:

Mentis inops rapitur, quales audire solemus
Threïcias fusis Maenadas ire comis.

cf. A. A. I. 465; III. 684, cet.

De »*furiali Erichtho*" uide quae disputamus in disquisitione crit. cap. IV.

Vs. 140 cum editoribus plerisque recepimus *Impulit*, quod defendunt comparatis Am. I. 9. 43, ex Pont. II. 3. 73 sq., Val. Flacc. IV. 33, V. 42, cet. Sed cum parum id habeat codicum auctoritatis, impense placet emendatio Heinsii scripturam plerorumque MSS. *Attulit* mutantis in *Abstulit*, quod uocabu-

lum quam sit in tali re proprium et idoneum non opus est ut pluribus demonstrem (uid. ad us. 86). Burmannus uero defendit *f.* codicis lectionem *Attigit*, comparatque Fast. III. 201:

Intumuere Cures et quos dolor attigit idem.

Her. IV. 50: Numine contactus attonuere suo.

Am. III. 1. 64: Iam nunc contacto magnus in ore sonus.

De IN COLLO CRINE IACENTE uid. Gierig ad Fast. IV. 318:

— hos edit crine iacente sonos.

Met. II. 673: — uagi crines per colla iacebant.

ferri de iis, qui furunt, nec prae nimia animi commotione quid agant sciunt, ut Her. IV. 47:

Nunc feror ut Bacchi furiis Eleleïdes actae.

A. A. I. 311 sq.: In nemus et saltus thalamo regina relicto
Fertur ut Aonio concita Baccha deo.

Copiosius de hoc uoc. egit Burmannus ad h. us.

Vs. 141 ANTRA PENDENTIA TOFO: antri latera et tholus sunt ex tofo pendenti; inde, noto more, ipsum antrum dicitur tofo pendens; (cf. Brouckhus. ad Prop. III. 2. 28). Sic Am. III. 1. 3: — *spelunca pumice pendens*, Met. XIII. 810: *Antra uiuo pendentia saxo.* Illustratur haec locutio ab ipso Ouidio Fast. II. 315:

Antra subit tofis laqueata et pumice uiuo.

Met. III. 159 sq.:

— (antrum) nam pumice uiuo
Et leuibus tofis natiuum duxerat arcum.

Vs. 142 MYGDONII MARMORIS, h. e. Phrygii; notum enim est Mygdones e Mygdonia prope Thraciam oriundos in Asiam transiisse et in Phrygiae parte prope Troadem consedisse: unde et Phrygiam appellatam a poetis Mygdoniam (Strabo VII. 3. 2; XII. 8. 10. Ouid. Met. VI. 45). Marmor autem Phrygium uel Synnadicum, ad Synnada, Phrygiae oppidum, caesum, Romanis fuisse in pretio maximo docent Hor. C. III. 1. 41; Plin. N. H. XXXV. 1.; Strabo IX. 5. 16; XII. 8. 14; cf. Dissen ad Tibull. III. 3. 13.

Eadem oppositio marmoris et tofi inuenitur Suet. Claud. 21: »Circo uero Maximo marmoreis carceribus auratisque metis, quae utraque et tofina et lignea antea fuerant, exculto" cet. cf. Iuuen. S. III. 20:

— neque ingenuum uiolarent marmora tofum.

Vs. 143 SILVAM QVAE CVBILIA PRAEBVIT, cf. Her. V. 13 sq.:

Saepe greges inter requieuimus arbore tecti,
Mixtaque cum foliis praebuit herba torum.

A. A. II. 475: Silua domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

MVLTA COMA ut Met. XIII. 844 *coma plurima*, XIV. 514 *multa silua*; cet.

Vs. 145 DOMINVM SILVAEQVE MEVMQVE. Quid sibi uelit *dominum siluae*, e us. insequenti fit perspicuum; silua enim propter unum Phaonem Sapphoni est commendabilis. *dominum meum*, h. e. amatorem, ut saepius, e. g. Am. III. 7. 11:

Et mihi blanditias dixit dominumque uocauit.

A. A. I. 314: Et dixit 'domino cur placet ista meo?'

De *siluaeque meumque*, hexametri finiendi modo ab Ouidio saepe usitato, cf. Geibel, *Beitraege zur Beurtheilung des Ouid* [1]) p. 8.

Vs. 146. VILE SOLVM LOCVS EST; cf. ex Pont. II. 8. 18:

Qui locus ablato Caesare uilis erit.

Met. XV. 428: Vile solum Sparte est....

DOS ERAT ILLE LOCI. De hac locutione nimis seuere iudicasse mihi uidetur Theod. Birt (l. l. p. 388. n. 2) appellans eam *ridiculam*. Cur enim non ad homines etiam referatur *dos*, eodem iure quo *decus*, *prudentia*, *gloria*, cet. (uide ad us. 94)? Pari modo Hypsipyle numeratur inter *res dotales* Her. VI. 118, ubi praeclare a Salmasio Palmeroque est emendatum:

Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti:
Me quoque DOTALES inter habere potes.

De *rebus* autem quam frequenter *dos* ut *decus*, *ornamentum* usurpetur notum est; cf. e. g. Met. V. 562: *dos oris* = facundia, Met. IX. 716 *dos formae*, V. 583 *dos corporis* = pul-

1) Progr. Gymnas. Hadersleben. 1872.

critudo; Am. III. 8. 2; Trist. I. 9. 48; cet. Sic *dotes arui uberis* Sil. XV. 196; sic pedamina appellantur *uinearum dotes* Colum. IV. 30. 1; *siluarum dotes* Grat. Cyn. 252, notissima circumlocutione poetica pro *siluae*; cet.

Quodsi igitur non concedo, uituperandum hoc esse, ut Phaon *dos loci* appelletur, non tamen ea locutio adeo mihi probabilis uidetur, ut nullus sit dubitandi locus. Elegantem autem coniecturam suppeditauit mihi Cornelissen V. Cl. praeceptor carissimus, ita corrigens: *flos erat ille loci;* id quod uulgatae lectioni longe esse praeferendum eo libentius mihi persuadeo, quo aptior sit floris mentio ubi agit poetria de silua herbisque, quondam amoris sui deliciarum testibus.

Vs. 147 PRESSAS NOTI MIHI CAESPITIS HERBAS; cf. Met. X. 556 sq.:

Datque torum caespes; 'libet hac requiescere tecum',
Et requieuit humo, pressitque et gramen et ipsum.

A. A. III. 721: Vidit ut oppressa uestigia corporis herba. cf. *teneri caespitis herba* Am. III. 10. 10.

DE NOSTRO CVRVVM PONDERE GRAMEN ERAT cf. Rem. 175:

Aspice curuatos pomorum pondere ramos.

Met. III. 94. Pondere serpentis curuata est arbor —

Vs. 149. INCVBVI TETIGIQVE LOCVM cet. cf. Her. X. 53 sq.:

Et tua, qua possum, pro te uestigia tango,
Strataque quae membris intepuere tuis.
Incumbo, lacrimisque toro manaute profusis —

Vs. 150. LACRIMAS COMBIBIT HERBA, cf. Met. IX. 656: — *humectat lacrimarum gramina riuo.* De *combibere* uid. Her. XI. 54: A. A. II. 326, Loersium ad Her. XI. 54.

Vs. 151. QVIN ETIAM in us. initio ut Am. I. 8. 82; A. A. II. 269; Trist. III. 3. 19; ex Pont. IV. 10. 61; cet. RAMI POSITIS LVGERE VIDENTVR FRONDIBVS cf. Met. XI. 46 sq.: *positis te frondibus arbor Tonsa comam luxit* .... cf. Werfer, l. l. p. 554, Loers ad Her. XI. 67.

Vs. 152. DVLCE QVERVNTVR AVES, de auibus quae '*tenui gutture cantant*' ut Am. III. 1. 4:

Et latere ex omni dulce queruntur aues.

Her. X. 8: .... tectae fronde queruntur aues.
Fast. IV. 166: .... tactae rore querentur aues.

Vs. 153. VIRUM — VLTA; cf. Rem. 59 sq.:

Nec dolor armasset contra sua uiscera matrem,
Quae socii damno sanguinis ulta uirum est.

Am. II. 14. 32: Iactura socii sanguinis ulta uirum.

Theod. Birt (l. l. p. 388. n. 2) adnotat ad h. us.: »Inexercitati certe us. 153 sentient periti [quod num argumentis possit confirmare uir doctus uehementer dubito] neque horum poetarum est *pie* aduerbium". At *pie* aduerbium cur offendat causa est nulla, cum praesertim legatur etiam apud Tibullum (I. 3. 25): *pie dum sacra colis* (it. ap. Terent. Ad. 459; Sen. Phoen. 380, Oedip. 790; Nemes. Cyn. 45), nec profecto iure mihi uidetur ex hoc Tibulli us. comparato cum Ouid. Am. III. 9. 27: *Viue pius, moriere. pius cole sacra, colentem* cet., effecisse Ehwald [1]) aduerbium illud ab Ouidio constanter esse uitatum.

Impia Procne est ex Pont. III. 1. 119, *male ulta* Hor. C. IV. 12. 5 sqq.:

Nidum ponit Ityn flebiliter gemens
Infelix auis et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

cf. A. A. II. 408: Et male peccantem Tyndaris ulta uirum; Met. VII. 397: Ultaque se male mater —

In *H.* cum inuenisset Baehrens pro *pie* scriptum *pia*, proposuit (l. l. p. 60): *Sola uirum noxa ulta pia* cet.; qua in locutione inesse artificium rhetoricum Ouidio familiare. Mutatione tamen in hoc us. opus non esse mihi uidetur.

---

1) In „Bursian's Jahresbericht" cet. X. 2. 1882. p. 271.

Vs. 154. Concinit Ismarivm Davlias ales Ityn. cf. Am. III. 12. 32: Concinit Odrysium Cecropis ales Ityn.
Fast. IV. 482: .... ut amissum cum gemit ales Ityn.
cf. Consol. ad Liu. 106: Deflet Threïcium Daulias ales Ityn.

Exemplum imaginis huius, a lusciniae natura desumptae et apud poetas tam frequentis, uidetur praeeuntibus Homero Od. XIX. 518 sqq. et Callimacho Hymn. V. 94 dedisse Catullus LXV. 13 sq.:

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli.

cf. Prop. III. 10. 10: Increpet absumptum nec sua mater Ityn.

Adnotauit ad hunc us. Theod. Birt (l. l. p. 388. n. 2): »Versus Amorum III. 12. 32 uariatur in u. 154; Ouidius ni fallor sua uerba repetiisset". De istiusmodi iudicio satis superque diximus ad us. 79.

De Ity comparentur quoque Trist. II. 390:

Quaeque suum luget nunc quoque mater Ityn.

Am. II. 6. 10: Magna sed antiqui causa doloris Itys.
Am. II. 14. 30: Aque sua caesum matre queruntur Ityn.

Ismarivm Ityn ut filium Terei, Thracum regis; cf. Her. I. 46, Consol. ad Liu. 106, cet.

Davlias ales dicitur Procne a Daulide, Phocidis regione, ubi regnabat Tereus (Paus. I. 41). cf. Thuc. II. 29. 3: *ἐν ἀηδόνος μνήμῃ Δαυλιὰς ἡ ὄρνις ἐπωνόμασται.* Aliter explicauit A. Riese (Annal. phil. et paed. CXV. 1877. p. 231) *Δαυλιάς* deriuans a *δαῦλος*, uertensque Germanice »*die Saengerin des Dickichts*", (cf. Soph. O. C. 672 sqq.).

Vs. 155. ales Ityn. Ales Ityn: eiusmodi repetitionis, ut ultima pentametri uerba prima sint hexametri insequentis, multa apud Ouidium exempla exstant, ueluti A. A. I. 536 sq.: »*quid mihi fiet?" ait*, / »*Quid mihi fiet?" ait*; Fast. III. 724 sq.: *carminis huius opus.* / *Carminis huius opus*; Her. XIII. 140 sq.: *arma dabit.* / *Arma dabit.*

deserTos amores mutare uoluit Francius in *discerptos*, *diuul-*

sos, uel *diruptos amores*; quae cur proposuerit non uideo: optime enim Sapphonis desertae deserti dicuntur amores, ut e. g. Catull. LXI. 122 sq.: *Desertum domini audiens* | *Concubinus amorem.* Sic Her. XVIII. 157: *desertor amoris*, noto more quo uoces in militia propriae transferuntur ad amorem; cuius optimum apud Ouidium exemplum est tota illa elegia Am. I. 9:

Militat omnis amans et habet sua castra Cupido, cet.

Vs. 156 deleto semicolo post HACTENVS uulgo posito, scripsimus probante Baehrensio (l. l. p. 60): HACTENVS VT MEDIA CETERA NOCTE SILENT, h. e. hucusque — me Procneque exceptis — omnia silent, quasi sit media nox. cf. Am. II. 11. 16:

Hactenus est tutum. cetera caeca uia est.

Similiter dicitur Met. X. 446: *Tempus erat quo cuncta silent:* Fast. V. 429 sq.:

Nox ubi iam media est, somnoque silentia praebet
Et canis et uariae conticuistis aues.

Pro VT nonnulli e *f.* receperunt IN, quod tamen defendi nequit; dies enim est iam inde a us. 135.

Mira autem est interpretatio huius us. intellectu tam facilis, facta a Domitio Calderino (in comm. ad l.): »usque ad mediam noctem, donec omnia silent!"

Vs. 157. EST NITIDVS cet.: tale uersus et descriptionis initium quantopere poetis Latinis, maxime uero Ouidio fuerit in deliciis, notum est; cf. e. g. Her. II. 131, Met. II. 195, IX. 334, Fast. II. 491, cet. Praeiuerat Homerus Il. XIII. 32:

Ἔστι δέ τι σπέος εὐρὺ βαθείης βένθεσι λίμνης.

VITREOQVE MAGIS PERLVCIDVS AMNE habent codd. plerique, nisi quod in multis est AMNI (cf. Neue, *latein. Formenl.* I². pag. 217). Defendi certe potest haec locutio, sed rectissime dubitat Heinsius num ad nitidum fontis splendorem declarandum satis magnam uim habeat eius cum amne comparatio: sunt enim, ut obseruat Lennepius ad h. us., amnes fere minus limpidi ac

perlucidi quam fontes. Restituit igitur locum Heinsius scribendo *uitroque* [1]) *magis perlucidus omni*, comparatis Met. XIII. 791: *splendidior uitro*, Hor. C. III. 13. 1:

O fons Bandusiae, splendidior uitro.

ib. I. 18. 16: Arcanique fides prodiga, perlucidior uitro.

Talem uero emendationem cum nouerit Theod. Birt, miror quod ipse proposuit (l. l. p. 430): *uitroque magis perlucidus antris*, addiditque »hoc latebat, male enim loci mentio omittebatur".

Ceterum totus hic locus us. 157—161 recte potest comparari cum Met. III. 157—164:

.... est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla: simulauerat artem
Ingenio natura suo; nam pumice uiuo
Et leuibus tofis natiuum duxerat arcum.
Fons sonat a dextra tenui perlucidus unda,
Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
Hic dea siluarum uenatu fessa solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.

Quibuscum conferantur Am. III. 1. 1—5:

Stat uetus et multos incaedua silua per annos:
Credibile est illi numen inesse loco.
Fons sacer in medio speluncaque pumice pendens,
Et latere ex omni dulce queruntur aues.
Hic ego dum spatior tectus nemoralibus umbris —

Vs. 158. FONS SACER; HVNC MVLTI NVMEN HABERE PVTANT. Similiter prorsus dicitur Am. III. 1. 2 sq. (supra adscr.), Fast. V. 673 sq.: Est aqua Mercurii portae uicina Capenae:

Si iuuat expertis credere, numen habet.

Am. III. 13. 8: Aspice, concedas numen inesse loco.

Vs. 159. QVEM SVPRA RAMOS EXPANDIT cet.; cf. Prop. I. 20. 34 sqq.:

1) *uitroque* iam scripsit Naugerius, et sic est in χ. *u. o.* (v_2. *k.*).

Grata domus Nymphis humida Thyniasin,
Quam supra nullae pendebant debita curae
Roscida desertis poma sub arboribus.

EXPANDIT dictum est ut e. g. Met. VII. 622 *patulis ramis*; Verg. Aen. VI. 282: *pandit ramos ulmus* cf. Heinsius ad hunc us. et ad Val. Flacc. I. 400.

AQVATICA (quod uocabulum Ouidius formauit primus) cum LOTOS coniungitur in hexametri fine ut Met. IX. 341; X. 96.[1]) Lotos autem aquatica est *Diospyros Lotos* (*Linn.*), de qua cf. Voss ad Verg. Georg. II. 84; Lenz, *Botanik* p. 625 sqq. De ea refert Plinius XVI. 30. 53: »Praecipue domibus expetitur ramorum petulantia breui caudice latissima exspatiantium umbra et in uicinas domos saepe transilientium .... nullis rami longiores ualidioresque aut plures, *ut dixisse totidem arbores liceat.*"

Vs. 160. VNA NEMVS, sic Met. VIII. 743 sq.:
Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus —

Quocum conferas Sen. Oed. 543 sqq.:
Medio stat ingens arbor atque umbra graui
Siluas minores urguet et magno ambitu
Diffusa ramos una defendit nemus.

Illustrant hanc locutionem Plinius loco us. sup. laud., et XVI. 44. 91: *ilex .... siluam sola faciens*; Silius V. 481 sq.:
Aesculus .... instar (aperto
Si staret campo) nemoris ....

TENERO CAESPITE TERRA VIRET, cf. A. A. III. 688:
Fons sacer et uiridi caespite mollis humus.

Am. III. 10. 10; cet.

Vs. 162. CONSTITIT ANTE OCVLOS NAIAS VNA MEOS. Ita unus *f.* egregie exhibet (et sic legisse se in »*codd. ueteribus*" adnotat Naugerius), ceteri omnes inepte: *Formosus puer est uisus adesse*

1) Cf. *aquaticus Auster* Met. II. 853.

mihi. Unam ueram esse *f.* codicis lectionem, uel per se patet et confirmatur maxime us. 179, ubi Sappho compellata respondet uerbis: *Ibimus, o* NYMPHE .... Qua uero ratione insulsa illa interpolatio in codd. obtinuerit locum, ostendit Baehrens, l. l. p. 53: intercidisse nimirum in archetypo pentametrum ob idem sequentis hexametri exordium; quam lacunam postea a sciolo quodam ex ingenio suo expletam uersu ridiculo *Formosus puer est* cet.

Ceterum quantopere Ouidius, Alexandrinos [1]) maxime secutus, amarit argumenta sua referre ad quasdam theophanias, i. e. ut numen aliquod interueniret quod homini consilii inopi adesset et quid faciendum ostenderet, cet., patet e. g. ex Am. III. 1. 7 sqq., Rem. 555 sqq., 705 sqq., ex Pont. III. 3. 9 sqq., IV. 4. 12 sqq., cet.

Versus huic nostro prorsus similis est Am. III. 5. 10:

Constitit ante oculos candida uacca meos.

cf. A. A. III. 44:

Iussit, et ante oculos constitit ipsa meos.

De *Naiade* u. Haupt ad Met. I. 642 (et Met. XIV. 327: *fontana numina, Naiades*). VNA autem pro *aliqua*, *quaedam*, ut Met. VI. 578: *perfectaque tradidit uni*; VIII. 786: *montani numinis unam Talibus agrestem compellat Oreada dictis.* Et sic etiam boni codices omnes exhibent Fast. V. 664:

Edidit Arcadiis Pleias una Ioui;

ubi aeque ac nostro hoc loco pro *una* Heinsius scripsit *uda*, quod recte refellunt Lennepius (in comm. ad h. us.) et H. Peter in explicationibus crit. et exeget. ad Fastos, p. 75. De usu *unus* uocabuli, illa notione positi, cf. Drakenborch ad Liu. VII. 34. 3; cet. De illo usu apud priscos scriptores Latinos accurate nuper egit Max Paul, Quaestiones grammat. [2]) P. I. pag. 43 sqq.

Operae pretium est animaduertere quantopere inter se conue-

1) Cf. Dilthey, de Callimachi Cydippa, p. 15. Comparetti, l. l. p. 52.
2) Diss. inaug. Ienens. 1884.

niant uss. 157 sqq. et Her. XV. uss. 53 sqq., ubi similiter Paris narrat sibi per siluam erranti Mercurium cum tribus deabus uisum esse: comparentur modo Sapphus ep. us. 157 cum XV. 53: Est locus in mediae nemorosis uallibus Idae; us. 161 cum XV. 57 sq.: Hinc ego ... arbore nixus eram; us. 162 cum XV. 61: Constitit ante oculos .... Atlantis nepos; us. 173 cum XV. 67: Obstupui gelidusque comas erexerat horror.

Vs. 162—163. Constitit ... Constitit: Similis repetitio in pentametri sequentisque hexametri initio est e. g. Fast. II. 306 sq.:

Vidit ab excelso Faunus utrumque iugo.
Vidit et incaluit....

uid. Loers ad Her. XII. 33. (Loewe, de nonnullis figuris, cet. p. 30).

ignibvs aeqvis, paribus, mutuis, ut Met. IV. 62:

Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.

Met. IX. 720: Hinc amor ambarum tetigit rude pectus, et aequum
Vulnus utrique dedit; sed erat fiducia dispar.

Vs. 164. Ambracia est terra petenda tibi scripsimus, ut est in *f*, quod Heinsius ex codice suo Vaticano mutauit in *Ambracias t. p. tibi est*; Baehrens ex ceteris plerisque, *Ambrachiis* uel simile aliquod exhibentibus, proposuit *Ambracies terra p. tibi est.* At praestare mihi uidetur lectio e *f.* supra allata, ut etiam Met. XIII. 714 in omnibus bonis codd. est scriptum *Ambraciam*, non, ut uolebat Heinsius, *Ambracian*, cf. Ibis 302:

Sparsa per Ambracias quae iacuere uias.

Vs. 165 in bonis *f. H. F.* codd. non recte legitur: Phoebvs ab excelso qvando patet aspicit aeqvor, quod in ceteris omnibus est mutatum in *quantum patet*, et ita cum editoribus plerisque scripsimus: rectius enim id dici arbitramur meliusque quam quod coniecerit Baehrens, l. l. p. 61: *quoquo patet.*

Vs. 166. Actaevm, ut exhibent codd. plerique, defendit Heinsius auctore Stephano Byzant., citante: Ἀπόλλων Ἀκταῖος καὶ

'Ακτιακός, ita dictus ab Actio promunturio, et ab Acte. *Actiacus* appellatur Apollo e. g. Met. XIII. 714 sq.: *Ambraciam ... Actiaco quae nunc ab Apolline nota est* (cf. Fast. I. 711: *Actiacae frondes*), et sic pro *Actaeum* habent *Actiacum* hoc nostro loco *f. h.* p_2., quod utique erat recipiendum, confirmaturque uersu 185:

Cur tamen ACTIACAS miseram me mittis ad oras.

LEVCADIVS dicitur Apollo, ut Trist. III. 1. 42; V. 2. 76. cf. Prop. III. 11. 69. POPVLI pro *homines*, *populus* ut Met. VI. 546; XI. 645, cet.

Vs. 168 pro MISIT ET ILLAESO CORPORE PRESSIT AQVAS in *H. F.* est scriptum *Misit et in liquidas pondere p. a.*, quod Baehrens l. l. p. 61 mutat in *Misit nec liquidas pondere p. a.*, scilicet e us. 177 sqq.: *aura subito: et mea non magnum corpora pondus habent. Tu quoque, mollis Amor, pinnas suppone cadenti; ne sim Leucadiae mortua crimen aquae*, efficiens saltum Leucadium feliciter factum ita sibi mente finxisse poetam, ut seruaretur quem uenti ferrent in litus, periret quem pondus detraheret in undas. Quod tamen num ex illis uss. possit effici dubitandum est, quibus hoc tantum precari Sappho uidetur ut aurae et Amoris auxilio saltus uis sibi attenuetur, sicut et iis qui ob morem in Apollinis cultu institutum de illo promunturio praecipitabantur, plumae auesque subligabantur, non ut in litus sicci deferrentur sed ut impetus frangeretur casus faciliusque e mari in nauiculis possent excipi [1]). Et mersisse reuera in mari qui inde se deiecissent ueri fit simile e. g. ex Anacreontis fragm. XIX (Bergk):

'Αρθεὶς δηὖτ' ἀπὸ Λευκάδος
πέτρης ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ, μεθύων ἔρωτι.

Quare permanere in lectione uulgata tutius est uisum.

---

1) Strabo X. 452.

Vs 169—170:

NEC MORA [1]) VERSVS AMOR FIGIT LENTISSIMA PYRRHAE
PECTORA, DEVCALION IGNE LEVATVS ABIT.

Sic egregie exhibent *H.* et *F.*, nisi quod noto errore pro *lentissima* habent *letissima* (et in *F.* pro *abit* est sicut in reliquis *erat*). In plerisque codd., compendii nimirum culpa, pro *uersus* est *iussus*, *uisus*, *iustus*, cet., et *tetigit* pro *figit*, quod olim explicandi gratia supra *figit* fuisse scriptum probabiliter statuit Baehrens l. l. p. 62. In *f.* uero librarius pro *figit* legens *fugit* temere interpolauit:

Nec mora uersus amor fugit lentissima mersi cet.,

quod quomodo tueri potuerint nonnulli non uideo: inest enim in ea lectione iteratio molestissima, *lentissima* — miro satis modo κατὰ πρόληψιν sic dictum — sensu omnino caret, aeque ac *uersus amor*, cum amor ita non uertatur sed cesset; denique superuacaneum prorsus est nomen Deucalion [2]). Quod cum iam olim uidisset Heinsius, uariis lectionibus inter se comparatis, ex coniectura scripsit:

Nec mora uersus amor tetigit lentissima Pyrrhae cet.

Quod autem ille sagacissime restituit confirmatur nunc Harleiano et Fuldensi codd., in quibus eadem plane expressa est sententia. *figit* in iis scriptum pro *tetigit* (cf. Met. IX. 720) praeferendum uidetur, satius cur *fugit* in *f.* sit illatum explicans. Amor *figit* aliquem dicitur e. g. A. A. I. 23:

Quo me fixit Amor, quo me uiolentius ussit.

Am. II. 9. 5, cet. Praesenti autem *figit* tempori accommodatum ex *H.* pro *leuatus erat* recepimus *leuatus abit*; sic enim olim fuisse scriptum apparet.

De illis Deucalionis Pyrrhaeque amoribus nihil omnino apud ueteres scriptores nobis traditur nisi hoc loco. Nec coniuncta reperiuntur eorum nomina nisi in nota diluuii magni fabula et

---

1) *Nec mora*, Ouidio tritissima locutio, Am. I. 6. 13; 11. 19; III. 7. 81; A. A. I. 146; cet.

2) Cf. Theod. Birt, Mus. Rhen. XXXII. p. 400. n.

apud Strabonem IX. 380 (5. 14) narrantem apud Pyrrham Phthiotidis promunturium duas insulas esse sitas, quarum alteri Pyrrham alteri Deucalionem nomen. Indicium tamen mirae illius fabulae exstat in Etym. Florent. 130 (Schn.): *Λευκαρίων· οἷον Πύρρα ἢ Λευκαρίων· Δευκαλίων* et Etym. Magn. p. 561. 54: *Λευκαρίων· Δευκαλίων καὶ καθ' ὑπέρθεσιν Λευκαδίων*: unde probabiliter statuit Theod. Birt (Mus. Rhen. XXXII. p. 432) Alexandrinos rarissimum uiri nomen *Λευκαρίων* indagasse — fortasse circa Ambraciam, fortasse in ipsa Lesbo — eamque explicaturos uarietatem, quae facile tribueretur litterarum *ὑπερβιβασμῷ*, noua illa de Deucalione Leucadio aut eruisse aut finxisse.

De saltu autem e Leucate promunturio pauca admodum sunt nota neque usquam nisi hoc loco haec ei potestas fuisse traditur ut amorem ex pectore desilientis in amati hominis pectus transfunderet. Aliquatenus tamen indicium eius rei habere nobis uidemur apud Seruium ad Verg. Ecl. VIII. 59: »*quod apud Leucaten soliti erant se praecipitare, qui aut suos parentes inuenire cupiebant, aut amari ab his desiderabant quos amabant.*" Saepius uero illud remedium a misere amantibus esse adhibitum res est notissima. Et primam quidem fuisse Sapphonem quae amore erga Phaonem incensa de Leucadio monte se praecipitaret, tradit Menander [1]) ap. Strabonem X. 452 (2. 9):

οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ
τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φάων'
οἰστρῶντι πόθῳ ῥῖψαι πέτρας
ἀπὸ τηλεφανοῦς ἅλμα κατ' εὐχὴν
σήν, δέσποτ' ἄναξ, εὐφημείσθω
τέμενος περὶ Λευκάδος ἀκτῆς. [2])

1) Meineke, fragm. com. Graec. IV. 158.

2) Cf. Seruius ad Verg. Aen. III. 274: „*sane de hoc Leucate amatores se in mare ad excludendum amorem praecipitare dicebantur: ut Sappho† quae his inde desiluit.*" ibid. 279: „*Phaon ... feminas in sui amorem trahebat, in quis fuit una quae de monte Leucate, cum potiri eius nequiret, abiecisse se dicitur.*" cf. Auson. Cup. cruc. us. 24, Stat. Silu. V. 3. 154; cet.

Addit tamen eo loco Strabo uulgo tradi iam antea inde desiluisse Cephalum, cum Pterelam Deionei filium deperiret. Charon Lampsac. contra (ap. Plut. M. 255 A.) auctor est primum se e Leucate deiecisse Phobum, unum de stirpe Codridarum. Multo tamen ante iam Stesichorus carmine celebrasse dicitur (Athen. XIV. c. 11) Calycen, quae ab Euathlo spreta ab illo promunturio in mare desiluisset. [1]) Prouerbii autem fere locum saltum illum in rebus amatoriis obtinuisse docet Anacreon, fragm. XIX. (Bergk):

Ἀρθεὶς δηὖτ' ἀπὸ Λευκάδος
πέτρης ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ, μεθύων ἔρωτι.

Plures denique qui eo saltu amoris aestum finire conati sunt enumerat Ptolem. Hephaest. ap. Phot. Bibl. p. 153. a (Bekker), in quorum tamen numero, quod mirere, Sappho non est. Quamquam uero Ptolemaeus plerumque fide certe est indignus, paucis tamen quae apud eum leguntur referamus. Is autem narrat Veneri cum post mortem Adonidis se amore eius uellet liberare, Apollinem fuisse auctorem ut se de Leucate in mare praecipitaret. Apollo enim obseruasse se dixit ei, Iouem cum Iunonem impotenter amaret, solitum esse in eo monte sedere et sic sanari. Itaque Venerem saltus periculum fecisse et pectore frigidissimo emersisse. Postea plures remedio illo sunt usi: Artemisia, Lygdamidis filia, amans Dardanum Abydenum, sed ab eo spreta, inde se praecipitauit, periit tamen in saltu. Sic et Hippomedon Epidamnius. Felicius rem gessit Nicostratus Tettigideae Myrinensis amore flagrans sed per illum saltem leuatus igne. Similiter et Maces Buthrotius; quin quater ille per id remedium exstinxit amorem, ita ut a ciuibus suis cognomen acciperet Leucopetra. [2])

1) Sciens omitto fabulam Ochnes Coloni filiae, quam huc pertinere putat K. Riedel („*der gegenwaertige Stand der Sapphofrage. XIItes Jahresbericht des Real-Gymn. Waidhofen a. d. Thaya. Iglau*, 1881, p. 23). Ea enim non ut amoris aestu liberaretur inde desiluit, sed ut mortem sibi consciseret cum paeniteret eam quod per calumnias suas Eunosto necis causa fuisset. cf. Plut. Q. Gr. c. 40.

2) Parum accurate Hardion (*sur le sault de Leucade.* In *Mém. de l'Acad. des Inscr. VII.* 1726. p. 258) inde conclusit hoc fuisse illius saltus proprium ut feminae quae se deiecissent deperirent, uiri illaesi emergerent!

Bulagoras tamen Phanagorites et Rhodope Amisena frustra sunt experti saltum; uterque enim in eo est mortuus. Nec melior obtigit sors Charino iamborum poetae, qui cum insano Erotis amore captus in mari mersisset, fracto crure ad litus est appulsus ibique dolore confectus obiit. Felicissime contra euenit Nireo cuidam Cataneo, qui per eum saltum non solum est amoris aestu liberatus, sed etiam incidit in rete, in quo cista erat auri plena [1]): de quo lepida fabula a Ptolemaeo narratur.

At non solum, qui misero amore laborabant, se de illo promunturio deiciebant: mos etiam — ut iam supra diximus — erat in Apollinis cultu institutus, ut quotannis nocens aliquis homo mali auerruncandi gratia inde in mare praecipitaretur [2]); cui tamen, ne obrueretur fluctibus, plumae et aues subligabantur, quarum uolatu subleuaretur saltus; infra autem excipiebatur a multis hominibus in nauiculis dispositis et quantum fieri poterat saluus extra ciuitatis fines deducebatur (Strabo, X. p. 452).

Fortasse et inueniebantur qui ad expiationem illam subeundam se auctorarent, i e. se quasi uenderent; quae tamen res in dubio uersatur. Locus enim ubi id traditur (Seru. ad Verg. Aen. III. 279) uarie legitur et explicatur, ita ut diiudicari de ea re nequeat. Addit autem Seruius l. l. fieri illum saltum propter Leucaten quemdam puerum qui, cum Apollo eum uellet rapere, in mare inde se proiecerit montemque cognomen sibi fecerit.

Photius denique sub u. *Λευκάτης* narrat ipsos Apollinis sacerdotes se ab illo promunturio deicere solitos fuisse. Quod tamen an reuera ita sit factum, minime constat: mutati enim eo loco a nonnullis sunt *ἱερεῖς* in *ἐραστάς*.

---

1) Miro modo Hardion l. l p. 260 ex hac fabula studuit efficere Apollinis sacerdotes instituisse, ut qui saltus periculum facere nollent, remedio tamen illius possent frui, si magnam pecuniae summam in mare iecissent; quae scilicet postea a sacerdotibus exciperetur e mari et in ipsorum usum conuerteretur.

2) Quo spectat e. g. Ou. Trist. V. 2. 76: *Vel freta Leucadii mittar in alta dei;* Fast. V. 630, cet.

Vs. 173. Vt monvit cvm voce abiit. ego cet. cf. Met. XV. 663 sq.:

Extemplo cum uoce deus, cum uoce deoque
Somnus abit —

Productae illius *abiit* syllabae ultimae exempla, quae sunt permulta, ex Ouid. carm. collecta uide apud Krusium, de Ouid. uita et operibus, p. 24. 4. cf. Haupt ad Met. I. 114, Luc. Mueller, de re metr. p. 325.

Vs. 174. Nec gravidae lacrimas continvere genae, cf. A. A. II. 70:

Nec patriae lacrimas continuere genae.

grauidae genae, *oculi lacrimis grauidi* dicuntur noto more quo poetae grauidum uocant quicquid tumidum est et aliqua re plenum (Ruhnken. ad h. us.); cf. Heyne ad Verg. Georg. I. 319, Huebner in Herme, XIII. p. 162. Sic *tumidi ocelli* Am. III. 6. 79. In *H.* quod est scriptum *grauidas*, Baehrens l. l. p. 62 comparato us. 17 Peruigilii Veneris: *Et micant lacrimae trementes de caduco pondere*, ut multo pulcrius magisque graphice dictum commendat. Obstat tamen quominus id recipiamus locus in Consol. ad Liu. 115 sq.:

Erumpunt iterumque grauant gremiumque sinusque,
Effusae grauidis uberibusque genis.

quod ualde est dubitandum num recte a Baehrensio (l. l. p. 62) sit mutatum in:

Effusae grauibus funebribusque genis.

Vs. 177. Qvicqvid erit, melivs qvam nvnc erit. avra svbito. *quicquid erit*, quodcunque eueniet, ut Her. XVII. 51 sq.:

Quicquid erit, patiar: liceat modo corpus in auras
Tollere, quod dubia saepe pependit aqua.

Met. XI. 442 sq.: *pariterque feremus Quicquid erit; pariter super aequora lata feremur.* Verg. Aen. V. 710: *Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.*

Et mea non magnvm cet. (us. 178). De ui *Et* uocabuli in pentametri initio uid. Werfer, l. l. p. 539.

Vs. 180. NE SIM LEVCADIAE MORTVA CRIMEN AQVAE, cf. Trist. III. 10. 42: *Non foret angustae mors tua crimen aquae.*

Schneidewin in Mus. Rhen. 1843. p. 143 laudat Prop. II. 28. 2: *Tam formosa tuum mortua crimen erit.* (u. ad us. 68).

Vs. 181 COMMVNIA MVNERA Phoebi et Sapphus uocatur lyra, huius ut A. A. I. 691: *Quid facis, Aeacide? non sunt tua munera lanae*, illius ut Rem. 154 *munera Martis*, arma; *munus Bacchi*, uinum, Rem. 803; Met. IV. 765, XII. 578; *munus Cereris*, *Cerealia munera*, panis, Met. X. 74, XI. 121, XIII. 639; cet.

ponere pro *consecrare* ut Her. I. 26, Met. III. 406, VIII. 723, cet. De *chelys* uocabulo uid. p. 142.

Vs. 182 egregie in *f. h. k.* p_2. est scriptum: ET SVB EA VERSVS VNVS ET ALTER ERVNT. Reliqui libri habent *erit*, quod olim editum esse miror, cum *uersus* in numero singulari ob syllabam breuem stare nequeat, coniungatque Ouidius *unus et alter* fere semper cum plurali, ueluti Am. II. 5. 22, Rem. 364, Trist. I. 3. 16.

Cum uss. 181—182 comparentur Her. XIX. 237 sq.:

Aurea ponetur mali felicis imago,
Causaque uersiculis scripta duobus erit.

Vs. 183 recte in paucis libris est scriptum: GRATA LYRAM POSVI TIBI, PHOEBE, POETRIA SAPPHO: plerique pro *posui* (*f. h.* l_3. l_6. *Farn.*, B_1) habent *posuit* — quod refellit uel ipse us. 184: *conuenit illa mihi* [1]) — et pro *poetria* (*h.* l_7. *f.*) *poetica.*

Poetria (Cic. Cael. XXVII. 64) confirmatur us. apud Terent. Maur. 2159 (VI. 390. K.):

Continuasse pedes istos in carmine solo
Dicitur haec eadem praeclara poetria Sappho.

A Graecis scriptoribus frequenter Sapphonem sic dici ποιήτριαν notum est. cf. Heins. ad h. us.

1) *posui* optime defenditur ab Heinsio comparante Prop. II. 14. 27: *Has pono ante tuas tibi, diua, Propertius aedes.* cf. Her. I. 84, II. 60, V. 22, cet.

Vs. 184. CONVENIT ILLA MIHI, CONVENIT ILLA TIBI. cf. Am. II. 5. 31:

Haec tibi sunt mecum, mihi sunt communia tecum.

cf. *communia munera* us. 181.

Pentametrum hic habemus mori Ouidiano si quid aliud consentaneum, fictum nimirum sic ut plane sibi inter se respondeant ambae eius partes, uno tamen distinctae uocabulo. uid. ad us. 40; Eschenburg, l. l. p. 24. Nullo igitur iure asseuerauit Palmer (in edit. Heroid. Ouid. p. VII) illum uersum esse talem qualem uix potuisset scribere Ouidius!

Vs. 188. Heinsius codicum lectionem: ET FORMAE MERITIS TV MIHI PHOEBVS ERIS egregie mutauit scribendo: ET FORMA ET MERITIS cet., comparato Her. VI. 83:

Nec facie meritisque placet, sed carmina nouit.

Baehrens l. l. p. 63 contendit in lectione illa ab Heinsio proposita »inepte absurdeque" dici Sapphonem sanari Phaonis forma, coniecitque ergo: *Et curae meritis tu mihi* cet. At monendum uix est non fuisse Heinsium iudicii tam »inepti absurdique" ut simile aliquid poetae obtruderet. Quod quomodo e uerbis illis potuerit efficere Baehrens non uideo: manifestum enim est Sapphonem hoc uersu eleganter designare duas Apollinis uirtutes praecipuas, pulcritudinem et opem salutiferam. Cum ergo iam antea (us. 23) dixerit Sappho Phaonem esse tam formosum ut uel Phoebum aequipararet, eum igitur pulcritudine sibi esse tamquam Phoebum, nunc iubet eum et *meritis*, h. e. et ferenda ope salutifera dei illius uice fungi, ut et ita sibi fiat uere Phoebus. Quod tam uenuste hoc us. est dictum, ut quin recte emendarit Heinsius dubitare nequeam.

Vs. 189 sq. AN POTES, O SCOPVLIS VNDAQVE FEROCIOR ILLA,
SI MORIAR, TITVLVM MORTIS HABERE MEAE?

Lectionem *o scopulis undaque ferocior illa* improbat Baehrens l. l. p. 63, qui obseruat petram Leucadiam cum mari apposito in

uniuersum male dici *ferocem*. Proposuit ergo: *o scopulis undaque ferocior, illic Si moriar, titulum cet.* Quodsi uersus indigeret correctione, mihi quidem ualde arrideret lectio *γ. w. Maz.* codicum *undaque ferocior ulla*, quae et sententiam praebet egregiam et hoc simul explicat quod in *f.* est scriptum *ferocior omni*, ortum scilicet e glossa, uocabulo *ulla* adscripta.

Sed mutatione opus esse mihi non uidetur: poetria postquam us. 187 dixit:

Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda,

statim addit Phaonem, si opem non ferat, his ipsis scopulis undaque esse ferociorem; quod recte dictum esse et ad rem praesentem accommodatum inde apparet quod mare Leucadium praeruptis scopulis et unda aestuosa diffamatum erat. Unde e. g. Verg. Aen III. 274 sq.:

Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Comparatio autem duri pectoris hominis cum scopulis marique quam fuerit cum aliis poetis tum Ouidio in deliciis nota est res. Conferantur e. g. Her. III. 133; Met. XIII. 801; XIV. 711 sqq. (ubi uid. Heinsium).

TITVLVM MORTIS HABERE MEAE, ut similiter prorsus dicit Ouid. Her. VII. 76:

Te satis est titulum mortis habere meae.

Her. XX. 176:

Te contra titulum mortis habere meae.

cf. Trist. I. 11. 30:

Haec titulum nostrae mortis habere uelit.

Egregie explicauit hanc locutionem Haupt ad Met. IX. 563:

Neue merere meo subscribi causa sepulcro.

Vs. 191 recte in *f.* g_7. *h. k.* l_1. l_7. *o.* scriptum est: AT QVANTO MELIVS cet.; reliqui AH uel O QVANTO cet. habent, qua de re cf. Heinsius ad Her. XVIII. 21; Am. II. 8. 17.

POTERANT cf. Met. I. 679, VIII. 47. Verg. Ecl. I. 79; cet.

Vs. 195 DOLOR ARTIBVS OBSTAT dictum ut e. g. Trist. I. 2. 32: *ambiguis ars stupet ipsa malis.*

Cum INGENIVMQVE MEIS SVBSTITIT OMNE MALIS (us. 196) cf. Trist. I. 1. 48:

Ingenium tantis excidet omne malis.

Trist. I. 11. 10: Fluctibus ingenium non cecidisse meum.
cf. Trist. III. 14. 33: Ingenium fregere meum mala.

De SVBSTITIT cf. Burmann. ad Her. XIII. 86; Fast. I. 538.

Vs. 197. NON MIHI RESPONDENT VETERES IN CARMINA VIRES. cf. ex Pont. IV. 2. 15:

Nec tamen ingenium nobis respondet ut ante.

Fast. I. 17: *dederis in carmina uires.* Her. II. 44; IV. 16; VI. 12; cet.

Vs. 198. PLECTRA DOLORE TACENT, MVTA DOLORE LYRA EST; Heinsius pro TACENT praetulit SILENT, ut exhibent *a. n.* (*Med.*); cf. e. g. Met. VII. 187: *Immotaeque silent frondes, silet humidus äer.* cet. Sed promiscue et *tacere* et *silere* dixisse poetas Latinos constat [1]). Nec tamen admodum placet locutio *plectra tacent* (quamquam *surda plectra* dicuntur a Statio Silu. I. IV. 19); quam libenter cum editore ed. Ven. 1558 mutauerim in: *Plectra dolore* IACENT ....

MVTA DOLORE ut A. A. III. 702: *subito muta dolore fuit;* Met. XIII. 538: *obmutuit illa dolore.*

Vs. 199 offendit AEQVOREAE adiectiuum puellis Lesbiacis inepte appositum. Frustra enim ut defenderent adiectiuum attulerunt docti Met. XV. 752:

Scilicet aequoreos plus est domuisse Britannos.

ubi illud epitheton aptissime addidit poeta [2]). Restituere uersum uoluit Baehrens l. l. p. 64 legendo: *Lesbides* AEQVALES cet.; quod sententiam praebet optimam. Cum tamen a tradita scriptura nimis longe recedat illud uocabulum, praeferendum uidetur: *Lesbides* AEQVAEVAE ....

1) Exempla collegit Doederlein, *Latein. Synonymik* I. p. 85.
2) Cf. Birt in Mus. Rhen. XXXII. p. 388. n. 2.

Anaphora us. 200, 201 poetam usum esse aiunt ut morem exprimeret Sapphus, cui figura illa ualde fuerit familiaris (cf. Micyll. ad h. us.). Sed eandem rem Nasoni quoque inprimis fuisse propriam et sollemnem docet Loers ad h. us. Cf. e. g. Her. II. 49 sqq., Met. VII. 228 sq. (Sapph. ep. uss. 127, 128).

Vs. 200. LESBIDES, AEOLIA NOMINA DICTA LYRA, cf. Am. II. 18. 26: .... Aeoliae Lesbis amica lyrae.
Hor. C. II. 13. 24 sq.:

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

cf. Strabo XIII. 2. 1; 3. 6.

Vs. 201 scripsimus ut unus ille *f.* egregie tradit: LESBIDES, INFAMEM QVAE ME FECISTIS AMATAE, quod in reliquis codd. sine ullo sensu mutatum est in: *infamem quae me fecistis* AMARE.

AMATAE tamen acriter impugnat Baehrens l. l. p. 64, asseuerans eam lectionem si amplectamur, adnuere poetriam uerum esse crimen illud τριβαδικῆς ἀσελγείας sibi a multis obiectum. Quod uero ex illis uerbis effici quomodo possit? quibus hoc tantum dicit Sappho puellas illas ita a se esse amatas ut fieret ipsa *infamis*, ut incurreret in hominum reprehensionem, h. e. ut *non sine crimine eas amaret*, prorsus igitur idem quod dicit us. 19: *Atque aliae centum, quas non sine crimine amaui* (sic enim legendum esse pro certo habemus et in comment. ad hunc locum demonstrasse nobis uidemur). Quare minime possumus facere cum Baehrensio coniciente: *infamem quae me fecistis* AMORE, quod ipse interpretatur »amore illo quo me stipastis canentem atque prosecutae estis, effecistis ut turpissima fabula fierem". Amorem uero illum utique fuisse mutuum nec tantum amatam esse Sapphonem a puellis illis, uerum etiam illas ab ipsa esse amatas — optime igitur dici: *infamem quae me fecistis amatae* — iam per se patet, confirmatur autem uersu 20:

Improbe, *multarum quod fuit*, unus habes.

Tᴠʀʙᴀ (us. 204) nulla rei inordinatae et incompositae notione adiuncta, ut saepissime ap. poet. Lat.; cf. Huebner, l. l. p. 225. Apud Ouidium conferantur e. g. Am. I. 1. 6; Her. IV. 101; X. 126; A. A. III. 811; cet. De plurali numero *Desinite - - - turba* uid. ad us. 16.

Vs. 206. Iɴɢᴇɴɪᴏ ᴠɪʀᴇs ɪʟʟᴇ ᴅᴀᴛ, ɪʟʟᴇ ʀᴀᴘɪᴛ. cf. Trist. II. 532: *Ingenio uires exiguasque dedit;* et contra ex Pont. III. 3. 33 sq.: *arcus et ignis Ingenii uires comminuere mei.* Ad sententiam cf. Prop. II. 1. 4:

Ingenium nobis ipsa puella facit.

Vs. 207. Eᴄǫᴠɪᴅ ᴀɢᴏ ᴘʀᴇᴄɪʙᴠs, ᴘᴇᴄᴛᴠsǫᴠᴇ ᴀɢʀᴇsᴛᴇ ᴍᴏᴠᴇᴛᴠʀ; dedimus ut est in *f.* paucisque in aliis; plerique: *Haec quid ego* cet., uel *Et quid ego* cet.; pro *pectusque* uero in *H. F.* g_7. ς. est *pectusne*, quod quin recte sit scriptum in uersu interrogantis dubitari non potest. Egregie autem uidit Heinsius interpungendum esse non post *precibus*, sed post *ago.* Non enim rogat poetria, an Phaonis pectus moueatur, sed an *precibus* moueatur, an precibus suis id efficiat ut Phaonem moueat. Scripsit igitur Heinsius:

En quid ago? precibus pectusne agreste mouetur?

Cur uero illud *En quid* praetulerit non uideo, cum *Ecquid* optimam praebeat sententiam et in tali re a poetis usurpari soleat. Quare scripserim:

Ecquid ago? precibus pectusne agreste mouetur?

Vs. seq. traditur: Aɴ ʀɪɢᴇᴛ, ᴇᴛ Zᴇᴘʜʏʀɪ ᴠᴇʀʙᴀ ᴄᴀᴅᴠᴄᴀ ғᴇʀᴠɴᴛ? Recte uero obseruat Baehrens, l. l. p. 66, hunc uersum non iam esse interrogantis, sed exclamantis; puellam suae ipsam interrogationi respondere: *riget pectus tuum* cet., ut doceant quae sequantur: *Qui mea uerba ferunt.* Restituit ergo: A *riget, et Zephyri uerba caduca ferunt!*

ᴘᴇᴄᴛᴠs ʀɪɢᴇᴛ dicitur ut *rigidum pectus* Am. I. 4. 36, Trist. I. 8. 42. *rigida mens* Her. III. 96. Vᴇʀʙᴀ ᴄᴀᴅᴠᴄᴀ ut Am. II. 16. 45 sq.:

Verba puellarum, foliis leuiora caducis,
Irrita qua uisum est, uentus et unda ferunt.

Fast. I. 181 sq.: ...... nec lingua caducas

Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.

Her. III. 98: At mea pro nullo pondere uerba cadunt.

Ibis 88: Et sit pars uoti nulla caduca mei.

De imagine uid. A. R. Zingerle, *Ov. u. s. Verh.* cet. I. 39 sqq.

Vs. 209. QVI MEA VERBA FERVNT, VELLEM TVA VELA REFERRENT. Hunc us. acuminis Ouidii uerum esse specimen docuit iam Werfer l. l. p. 505; cf. e. g. Her. VII. 8:

Atque idem uenti uela fidemque ferent.

Met. VIII. 133 sqq.: ..... ecquid ad aures

Perueniunt mea dicta tuas? an inania uenti
Verba ferunt, idemque tuas, ingrate, carinas?

Rem. 286: Irrita cum uelis uerba tulere Noti.

Her. II. 25 sq.: Demophoon, uentis et uerba et uela dedisti:
Vela queror reditu, uerba carere fide.

Trist. I. 2. 17 sq.: Ergo idem uenti, ne causa laedar in una,
Velaque nescio quo uotaque nostra ferunt.

TVA VELA REFERRENT, ut Trist. IV. 4. 87 sq.:

O utinam uenti, quibus est ablatus Orestes,
Placato referant et mea uela deo.

Vs. 210. HOC TE, SI SAPERES, LENTE, DECEBAT OPVS. Interiectum illud SI SAPERES mori Ouidiano plane conuenit, cf. e. g. Her. V. 99; XIX. 174; Met. XIV. 675; Rem. 477; Trist. II. 13. OPVS in uniuersum dictum de officio, de quauis re quam quis habet agendam, ut e. g. Fast. III. 709; A. A. I. 453; cet.

Vs. 211—212. SIVE REDIS, PVPPIQVE TVAE VOTIVA PARAMVS MVNERA. Sic in codd. plerisque est scriptum; in aliis pro *paramus* est *parantur*, quod ab editoribus uulgo receptum est. Egnatius praeferebat *paramus*, itemque Burmannus, qui eleganter satis coniecit:

Siue redis, puppi ecce tuae uotiua paramus cet.

Cum uero, ut ex ipsa rei natura apparet, uotiua munera puppi non parentur nisi in loco ubi puppis stet, Sappho autem

haec scribens Lesbi esset, non in Sicilia, unde Phaon iter aggredi debebat, uulgata lectio *parantur* utique probanda esse mihi uidetur.

De muneribus pro saluo reditu soluendis u. Rem. 811 sq.:

. . . . fessae date serta carinae.
Contigimus portus, quo mihi cursus erat.

Am. III. 11. 29 sq.:

Iam mea uotiua puppis redimita corona
Lenta tumescentes aequoris audit aquas.

Am. II. 11. 46: . . . pro reditu uictima uota cadet.

De PVPPE tutelarium deorum sede cf. etiam Her. XV. 112:

Accipit et pictos puppis adunca deos.

et Heins. ad Sil. XIV. 543.

Sententiae constructio illa quae euenit condicionalibus sententiis per particulas SIVE . . . . SIVE (us. 211, 217) diiunctis et interposita prioris membri apodosi interruptis, quam uitarunt poetae boni plerique, ab Ouidio est adhibita frequentissime. De qua re uid. accuratam disputationem ap. Leo, *de Senecae trag. obseruat. crit.* p. 94 sqq.

Dictio QVID LACERAS PECTORA NOSTRA MORA, h. e. quid pectus, animum meum mora uel morando laceras, comparari potest cum Her. III. 138:

Nec miseram lenta ferreus ure mora.

Sic *aerumma est aucta mora* Trist. IV. 6. 26; *ut ira mora uires absumere posset* Met. III. 693; cf. Trist. I. 3. 8: *Torpuerant longa pectora nostra mora.* Aliquid tamen eam habere offensionis, ut omnino totum id distichon 211—212, censet Baehrens l.l. p. 66. Quod cum insuper omittatur in *H. F.* g_4, coniecit uss. eos 211—212 non esse genuinos, sed in archetypi margine additos ab aliquo, qui falso putaret alterum *siue* (us. 217) quod responderet requirere. At non uideo quomodo hisce duobus uersibus salua sententia possimus carere. Verba enim *Solue ratem* non statim sic potuerunt dici post illud *Hoc te, lente, decebat opus*, sed omnino requirunt ut praecesserit ali-

quid, in quo de reditu futuro et de naui profectura ageretur.

Vs. 213—214. SOLVE RATEM ..... SOLVE RATEM; talis in hexametro et pentametro repetitio quam frequenter sit adhibita ab Ouidio doceant e. g. Am. I. 4. 13 sq.:

Ante ueni, quam uir, nec quid, si ueneris ante,
Possit agi, uideo, tu tamen ante ueni.

Am. III. 6. 61 sq.:

Ilia pone metus. tibi regia nostra patebit,
Teque colent amnes. Ilia pone metus.

cf. Am. I. 9. 1 sq., II. 2. 27 sq., Her. V. 117 sq., X. 11 sq., Rem. 385 sq., cet. Rectissime de hac re egit E. v. Leutsch in *Ersch-Grubers Encycl.* Sect. III. T. VIII. p. 72. cf. Eschenburg, *metr. Untersuch.* cet. p. 25 sqq.

RATEM SOLVERE dicitur ut Met. XIV. 85, cet.

VENVS ORTA MARI MARE [1]) PRAESTAT AMANTI. De ortu Veneris ex spuma maris uid. Hesiod. Th. 190 sqq. Ipsa e mari orta felicem nauigationem nautis praebebat (γαληναίη), itaque numen eius a nauigantibus inuocabatur, a Cnidiis Εὐπλοίας nomine colebatur; uid. e. g. Paus. I. 1. 3; Hor. C. I. 3. 1. cf. Met. IV. 536 sqq.:

— aliqua et mihi [Veneri] gratia ponto est,
Si tamen in dio quondam concreta profundo
Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illa.

Her. XV. 24:

In mare nimirum ius habet orta mari.

Her. XVIII. 159 sq.:

Quod timeas non est: auso Venus ipsa fauebit,
Sternet et aequoreas aequore nata uias.

Lectionem MARE PRAESTAT AMANTI impugnarunt cum Schlichtenhorstio Valckenaer (ad Herod. VII. 14) et Ruhnkenius, qui censebant scripsisse poetam *mare sternet amanti*, ut Her. XVIII. 160: *Sternet et aequoreas aequore nata uias.* Negari quidem nequit *sternendi* uerbum hoc loco optime quadrare et uersum

1) Similis iteratio est e. g. Met. VII. 823: *Esse putans nymphae, nympham mihi credit amari.* Met. I. 642; Her. VIII. 80. (XV. 24).

ex Her. XVIII. allatum esse simillimum. At, pace uirorum summorum Valckenaerii et Ruhnkenii dixerim, non contemnenda sunt quae attulit Burmannus ut *praestat*, lectionem in omnibus codd. traditam, tueretur. Recte enim dicit *praestare* ut et *praebere* beneuolentiae esse uerbum; ut Trist. II. 235: *Nec tibi contingunt, quae gentibus otia praestas;* Fast. VI. 638: *Liuia quam* [concordiam] *caro praestitit ipsa uiro.* cf. Gronouii Obseruat. IV. 8. Sic Ibis us. 111 sq.:

Nec se Vulcanus, nec se tibi praebeat aër!
Nec tibi det tellus nec tibi pontus iter!

Eadem autem locutio *praestare alicui aequor (pacatum)* legitur Met. XI. 747 sq.:

Tunc iacet unda maris. uentos custodit et arcet
Aeolus egressu, praestatque nepotibus aequor.

cf. ex Pont. II. 9. 27:

Si pacem nullam pontus mihi praestet eunti.

Ex illo autem uersu ex Pont. II. 9. 27, ut uidetur, iam olim et nostro loco pro *amanti* (ut est in *f.* v_9. m_3. *p.*) in codd. *H. F.* g_7. ς illatum est *eunti*, quod et Heinsius malebat, qui obseruabat Phaonem dici non posse amantem. At obicere mihi liceat Phaonem, si redeat, ipso reditu ostendere se *amare*; sin aliter »longe fugeret Sapphonem". Quin et ipsum praesens tempus *praestat* docet legendum esse *amanti*: non enim in uniuersum Venus cuiuis nautae saluam dare solet nauigationem, sed iis tantum qui ipsi parent, i. e. *amantibus.* Quare optime sese habere lectionem *mare praestat amanti* persuasum habeo.

Quod uero attinet ad id quod proposuit Baehrens, l. l. p. 66: *Venus orta mari mare praestat, eunti Aura dabit cursum* cet., recipiendum id non esse arbitror: neque enim *eunti* recte esse scriptum, neque *mare praestat* sic nude positum posse tolerari, quod requirat potius aut — ut ipse Baehrens monuit — additum aliquod quale *mite* uel *pacatum*, aut datiuum ad Phaonem spectantem, ut similiter est in locis Ouidianis supra indicatis.

Hunc uersum 213 ante oculos habuisse Musaeum (us. 249):

'Αγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει πόντοιο —

statuit Lennepius in comm. ad h. l. Melius tamen erat comparandus us. 24, Her. XV:

In mare nimirum ius habet orta mari.

Vs. 214. AVRA DABIT CVRSVM, TV MODO SOLVE RATEM. Cf. Her. VII. 171:

Cum dabit aura uiam, praebebis carbasa uentis.

Her. XVIII. 52:

Ut tibi det faciles utilis aura uias.

ex Pont. IV. 9. 73; Met. VIII. 3 (dant placidi cursum redeuntibus austri).

Ex his igitur exemplis apparet uerba *Aura dabit cursum* per se optime esse dicta. At mirum minusque rectum mihi uidetur, quod media inter Venerem et Cupidinem, Phaoni redeunti fauentes, nominatur *aura*, felicem cursum datura. Matrem Venerem statim sequi debebat filius Cupido: aurae fautrici non erat hic locus. Accedit quod *dabit* eodem uersus loco positum legitur in pentametro insequenti, quae quidem iteratio minime est elegans nec bono poeta digna. Quibus consideratis in his uocabulis *Aura dabit cursum* errorem latere suspicor. Continere ea debent aliquid, quod a Venere procuretur. Venus amantibus praestare solet mare, i. e. mare mite ac pacatum. Sed praeterea opus erat uento secundo et cursu felici. Haec tria si nominantur, tunc demum sententia exhibebit ea, quae exspectari poterant. Quapropter, coniecturae fortasse indulgens, sed, ut spero non nimis temerariae, rogare uelim an non olim scriptum fuerit:

Solue ratem: Venus orta mari *mare praestat amanti*,
Auramque et cursum: tu modo solue ratem!

Facile autem haec uerba poterant corrumpi, uocabulis *que* atque *et* per compendium scriptis, et librarii oculo ad illud *dabit* sequentis pentametri aberrante.

Vs. 216. Ipse dabit tenera vela legetqve manv. *Vela dare* sc. uentis, ut uela remittere, cf. Her. VI. 57, Met III. 639, VIII. 175, Trist. II. 548, cet.

leget uela, adducet, contrahet (Trist. III. 4. 32), cf. Verg. Georg. I. 372 sq.:

> ....atque omnis nauita ponto
> Humida uela legit —

tenera manu dicitur noto more quo ipse Cupido et omnia, quae ad eum pertinent, nominantur tenera, ueluti Am. II, 18. 4, A. A. I. 7, Fast. IV. 196, cet.

Vs. 217. Pelasgis dicitur Sappho propter Lesbum insulam a Pelasgis olim habitatam et a Xantho eorum rege Pelasgiam nominatam; cf. Diod. V. 81, Plin. N. H. V. 31. 39.

Vs. 218. Non tamen invenies cvr ego digna fvga. Corruptam hic procul dubio habemus lectionem in uerbis *digna fuga.* Etenim *dignus sum fuga* minime potest esse *dignus qui fugiar*, sed tantum *dignus qui fuger*, *qui in exilium mittar*, ut e. g. Met. XI. 281, Trist. III. 14. 9, IV. 10. 90; 102, ex Pont. IV. 13. 42. Quapropter omnino amplectenda uidetur correctio quam in g_7 inuenimus *cur ego digna* fvgi.

Dignus cum Infinitiuo Passiui, ut saepenumero apud Ouidium, ueluti [1]): Met. II. 43, IV. 320, VII. 697, X. 336, Fast. I. 88, cet. — *fugi* passiue dictum ut Cic. leg. I. 11. 31; Heren. IV. 38. 50, Lucan. I. 166, Stat. Theb. IV. 285, VII. 140, cet.

At uel sic, me quidem iudice, hic uersus nondum recte sese habet. Namque frigidum admodum et insulsum est illud *inuenies*, de Phaone dictum, quod interpretum neminem offendisse ualde miror. *Inuenire* est inquirentis, rem aliquam accurate examinantis. At quis repraesentare sibi possit Phaonem dedita opera animo uoluentem et discutientem utrum fugienda esset Sappho necne, ac tandem *inuenientem* se eam fugere oportere? Tali

1) Nonnulla exempla collegerunt Bacht, *de usu infinitiui ap. Ouid.* p. 22, et Trillhaas, *der Infinitiv bei Ovid*, p. 17. Cf. Draeger, *histor. Syntax* II². p. 331.

in re non argumentis utrimque perpensis, sed animi affectu ducimur. At multo rectius haec de se ipsa dicet puella. A Phaone deserta ultro eo debebat duci ut se ipsa exploraret, ut secum reputaret numquid forte commisisset, quo Phaonis amore uideretur indigna. Sed nihil tale inueniebat, nullius rei sibi conscia erat, ob quam digna esset cur a Phaone fugeretur. Hoc erat dicendum, hoc a poetria sortem suam querente exspectaueris. Multo igitur melior et utique sana euadit sententia, si legamus:

Non tamen *inuenio* cur ego digna fugi.

Vs. 219. HOC SALTEM MISERAE CRVDELIS EPISTVLA DICAT. Sic est traditum in *f.*; in *H.* et *F.* est *Ah* [*Ha*] *saltem*, in plerisque *O Saltem.* Sed uocabulo *Hoc* (sc. »te fugisse Pel. Sappho") carere minime possumus, cum *dicat* per se manifestum non sit. Nec cur nimis id prosam sapere iudicet Baehrens l. l. p. 67 uideo.

VT MIHI LEVCADIAE FATA PETANTVR AQVAE (us. 220) locutio uidebatur Heinsio tam insolita, ut genuinam eam agnoscere uix posset; item abiudicauit epistulae totum hoc distichon Bentleius. Baehrens sanare uoluit locum mutando *fata petantur* in *cura petatur*: scilicet e uss. 165 sqq. apparere de malo saltus exitu cogitandum non esse.

Fata petere illustratur Her. XVIII. 118 sq.:

Quodsi quam sciero, moriar, mihi crede, dolendo.
Iamdudum pecca, si mea fata petis.

Fata petere igitur est *mortem oppetere;* optime uero etiam post uss. 165 sqq. dicere poetriam »ut mortem oppetam per saltum de Leucate" docent et us. 219 uocabulum *miserae* et us. 189 sq.:

An potes, o scopulis undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meae?

Et multo melius et argumento uere dramatico conuenientius in fine epistulae ait poetria desperationis plena se iam paratam esse ad summa subeunda pericula, ut miserae sibi mortem quaerat, quam diceret se uti uelle remedio illo flagrantis amoris.

Vna tamen restat difficultas in uerbis *fata Leucadiae aquae*, quod mire admodum est dictum. Vnde in deterioribus aliquot codd. librarius, uersus 175 recordatus, mutauit: *Leucadiae saxa petantur aquae.* Probabiliter uero restituere locum nobis uidemur, si legamus (ut est in ed. Mic. 1612):

Ut mihi LeucadiA fata petantur aquA.

DISQVISITIO CRITICA DE EPISTVLAE AVCTORE.

CAPVT I.

Epistula Sapphus, ut in Prolegomenis uidimus, non legitur in codicibus Ouidianis optimis et uetustissimis, neque Ouidii nomine est inscripta nisi in paucis deterioris notae libris (l_1. *m*. m_1. v_8. [*p*. *h*.]). Vbi autem cum Ouidii Heroidum epistulis coniuncta inuenitur, iis est uel praeposita uel postposita; nusquam inter eas legitur loco XV, quem locum obtinet in editionibus Ouid. inde a Dan. Heinsio an. 1629 usque ad Merkelium omnibus. Mirandum igitur non est exstitisse iam olim uiros doctos haud paucos, qui num ad Ouidium auctorem esset referenda, uehementer dubitarent negarentque eam, ab Ouidii Heroidum epistulis plane seiunctam, quantum quidem ex codicum ratione et habitu iudicari posset, quicquam cum iis habere commune [1]). Infregerunt uero horum sententiam inuenta Excerpta Parisina saec. XIII. et Vincentii Bellouacensis Excerpta (saec. XIII), a Schneidewino et Comparettio in doctorum notitiam prolata. Etenim, ut exposui in Prolegomenis p. 3, excerpta ex epistula Sapphus ibi inter excerpta Ouidii Her.

1) Primus omnium, quantum scio, qui illo nisus argumento spuriam indicauit epistulam, fuit A. G. Raabe, *Interpret. Odarii Sapphus in Venerem* (Lipsiae, 1794) p. 5, siquidem bene intellego uerba eius mire contorta et obscura haecce: *illa epistula omnino spuria uidetur atque suspecta, quare in nonnullis Heroidum Ouidianarum exemplaribus, nisi recentissimis, reperitur.* Secuti sunt eum Ioh. Val. Francke, Schneidewin, cet., quos paullo infra enumerabo.

XIV et XV [XVI] recepta, docent aetate satis remota, id est saec. fere VII, non multo postquam archetypus Ouidianus confectus sit, exstitisse codicem quemdam carmina Ouidii continentem, in quo haec nostra Sapphus epistula ut genuinum Ouidii opus legeretur. Ad irritum igitur cecidit uirorum doctorum argumentatio, qui ex codicum, quos hodie nouimus, ratione efficere conati sunt spurium esse opusculum et ab Ouidio abiudicandum.

Aliud autem indicium quo probari potest fuisse Sapphus epistulam temporibus iam antiquis inter Ouidii carmina circumlatam praebet nobis Marius Plotius [M. Claudius] Sacerdos, qui saeculo IV scripsit (VI. 481. Keil): »*this* tertiae declinationis *this* uel *dis* facit genetiuo, haec Atthis, huius Atthis, uel Atthidis: sic Ouidius." [1]) Quibus uerbis quin respexerit ille Sapph. ep. us. 18:

Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis

mihi quidem dubium esse nequit. Etenim quod a Schneidewino [2]) et Lachmanno [3]) — quibus nuper se adiunxit Riese [4]) — est obiectum apparere ex ipsis grammatici uerbis epistulam, a nobis tractatam, spuriam esse, cum illo auctore in genuino Ouidii poematio esset scriptus non nominatiuus sed genetiuus Atthidis — hoc minus recte se habere arbitror. Nam in tali re nihil aliud spectabat Marius Plotius quam ut indicaret formam aliquam citati uocabuli apud Ouidium legi; nihil uero curabat utrum positum esset illud casu recto an obliquo: ueluti p. 476. 5. scripsit: »*Maenas* Maenadis, sic Persius", ubi *Maenas* non legitur nisi nominatiuo (Sat. I. 101 et 105). Sic Probus paullo ante IV. 28. K.: »sons ..... tis faciet: insons, insontis: sic Horatius" [5]); apud Horatium autem *insons* nominatiuo tantum

1) = Probus cathol. IV. 30. K.
2) Mus. Rhen. N. S. II. p. 144.
3) In Indice lect. Vniuers. Berol. aest. 1848, p. 3.
4) In *Bursian's Jahresbericht* cet. 1877. II. p. 22.
5) Mar. Plot. Sac. VI. 479. K.

inuenitur. Rectissime uero obseruat Loers [1]), si Schneidewini rationem sequaris, statuendum esse et alterum illum genetiuum *Atthis* alicubi apud Ouidium fuisse lectum, cum Marius Plotius utramque formam in — *this* et in — *dis* diserte nominet, neque illud *sic Ouidius* ad alteram solam possit spectare.

Omnino uero cauendum est ne ex eiusmodi grammaticorum testimoniis plura efficiamus quam ipsi uoluerint. In citandis enim uocabulis, quae ex scriptoris locis proferrent, eos non id egisse ut eandem formam grammaticam exhiberent, qua illi essent usi, sed tantum significasse hoc uel illud uocabulum — siue casu recto siue obliquo — eo loco reperiri, non solum de Mario Plotio, uerum etiam de ceteris ualet. Cuius rei luculentum habemus exemplum apud ipsum Priscianum (II. 281. H.): »glans glandis. Sic Ouidius in XIV Metamorphoseon [us. 825 sq.]: ut lata plumbea funda Missa solet medio GLANS intabescere coelo". Peropportune sane accidit quod Priscianus ibi ipsa Ouidii uerba adscribere dignatus est. Illud enim si omisisset, iam audires contendentes uersum 826 libri XIV Metamorphoseon esse spurium, propterea quod auctore Prisciano in genuino Ouidii uersu scriptum esse deberet non *glans* sed *glandis!*

Minime uero hac in re fides est habenda Loersio, ubi opinionem profert (l. l. p. 43) Probum [Mar. Plot.] hic spectasse Attin, notum Cybeles amatorem, quem saepius nominet Ouidius. Nam ne id quidem nomen apud Ouidium legitur in genetiuo, neque ille umquam uocatur Atthis, sed uel Attis, uel Atys, Atis, Attes, Attin [2]); denique — ut ingeniose obseruat Comparetti l. l. p. 11 — si hunc respexisset grammaticus, profecto non addidisset: *sic Ouidius*, nam Attis ille sexcentiens a compluribus scriptoribus nominatur: noster uero auctorem tunc solum indicat cum agitur de nomine minus noto, quale certe est Atthidis, Sapphus amicae, quae a nullo scriptore La-

---

1) Mus. Rhen. N. S. IV. p. 44.

2) Cf. Salmasius ad Solinum p. 37a; O. Iahn ad Pers. S. I. 93.

tino memoratur nisi Sapph. ep. us. 18 et Terent. Maur. de metr. 2154 (VI. 390. K.). Absurdum autem esset credere Plotium, si Atthidem et Attin eosdem fuisse putasset, ad Ouidii auctoritatem prouocasse, quasi is solus secus ac ceteri omnes illud nomen scripsisset [1]).

Quodsi igitur ex illis Marii Plotii uerbis recte efficitur hanc nostram Sapphus epistulam ab illo ut Ouidianam esse lectam, apparet eam saec. IV cum Ouidii Heroidum epistulis fuisse coniunctam. Cuius rei aliud etiam argumentum sagaciter deprompsit Comparetti l. l. p. 9 sq. ex scriptis Ausonii. Apud illum enim collocatam uidemus Sapphonem inter feminas fabulosas — Heroides —, inter quas nusquam alibi apud scriptores Latinos locum tenuisse uidetur nisi in noto illo catalogo epistularum, quas se scripsisse tradit Ouidius Am. II. 18. 21 sqq. [2]). Quamquam autem Ouidius certe non primus poetriam ex historiae fide notam cum Heroinis fabulosis coniunxit, sed Alexandrinos maxime secutus esse in ea re uidetur, Ausonius tamen quin Ouidium magis quam alios ante oculos habuerit dubitari nequit. Primum enim in Ep. XCV [3]) us. 11 sqq.:

»Suasi, quod potui: tu alios modo consule". Dic quos?
»Quod sibi suaserunt Phaedra et Elissa dabunt,
Quod Canace Phyllisque et fastidita Phaoni".

---

1) Aliud testimonium de Sapph. ep. citat C. Barth, nempe in cod. saec. VIII ad Hor. C. I. 1. 22 adscriptum esse: „Omnis fons in origine sua sacer est et sub poena uetabatur eum uiolare. Vnde Ouidius: *Est nitidus uitreoque magis pellucidus amne Fons sacer, hunc multi numen habere putant.*" Sunt hi uersus 157—158 ep. Sapph. Cum tamen C. Barth de suo saepenumero addiderit illis scholiis nec fide est plerisque locis dignus, haud magni facere eius uerba tutius uidetur. cf. G. H. D. Suringar, hist. crit. Scholiastarum Lat. III. p. 104; 108.

2) Minus enim recte Ios. Scaliger, ad Verg. Cirin us. 302, et post eum S. L. Plehn, Lesbiacorum lib. (Berol. 1826) p. 186, opinati sunt Sapphonem esse nominatam „heroidem" iam a Laeuio poeta. Eius enim fragmentum (ap. Luc. Muellerum in edit. Catull. p. 81):

Seseque in alta maria praecipitem inmisit,
Mente impos, aegra sanitatis herois

pertinet non ad Sapphonem sed ad Inonem; cf. Weichert, de Laeuio poeta (Poetar. Lat. rell.) p. 71 sq.

3) In editione Schenkeliana (Mon. Germ. hist. Auct. ant. V. 2), Berol. 1883.

in eo epigrammate, inquam, Sapphonem coniungit Ausonius cum quattuor earum ipsarum Heroidum, quas amatoribus suis epistulas »Heroides" scribere finxit Ouidius. Deinde in *Cupidine cruciato*, ubi agit de feminis fabulosis quas

durus amor crudeli tabe peredit,

praeter eas quas manifesto desumpsit e Verg. Aen. VI. 442 sqq., illas tantum nominat, quarum miseri amores tractantur ab Ouidio aut in Metam. aut in Her.; in his Herus, Canacae, Ariadnae, in illis Semelae, Myrrhae, Thisbae. Inter eas autem consimiliter prorsus atque apud Ouidium enumeratam uidemus Sapphonem. Qua in re quin imitatus sit Ausonius ipsum Ouidium — quem et alibi in usum conuertit saepissime [1]) — nullus dubito, cum praesertim ea quae de feminis illis narrat Ausonius multas habeant similitudines cum iis quae scribunt illae apud Nasonem. Sic Auson. Cup. cruc. us. 22 sq. comparentur cum Ouid. Her. XVIII. 35, us. 31 cum Her. X. 72 et 103, uss. 38—39 cum Her. XI. 3, cet.

Attamen, quaerat quispiam, si reuera Ausonius Sapphus epistulam, quam scripserit Ouidius (Am. II. 18. 26), ad manum habuerit, an hoc iam comprobare possit fuisse illam ipsam hanc epistulam quam nunc habeamus? Quod quamquam pro certo affirmare haud audemus, ueri tamen est simillimum. Congruunt enim inter se quam maxime quae in epistula nostra sunt tradita et Auson. Cup. cruc. us. 24 sq.:

Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis [2]).

Neque alia desunt in Ausonii carminibus indicia, quibus ostendatur fuisse illi epistulam haud ignotam. Veluti Sapph. ep. us. 93:

---

1) Nonnulla exempla protulit A. Zingerle, *zu spät. latein. Dichtern* Fasc. I. (Oenipont. 1873). p. 36; 39 sqq.

2) In editione nouissima docet Schenkl hunc uersum 25 in editione Vgoleti an. 1499 demum esse additum ut expleretur lacuna, quae post us. 24 in codd. esset. Hoc tamen argumentationem nostram non infringit. Praecipua enim res est nobis cum uersu priori; actum autem in us. 25 et olim esse de Sapphone ipse contextus certe demonstrat.

O nec adhuc iuuenis, nec iam puer cet.

exemplum uidetur fuisse Auson. Mosellae us. 129:

Qui necdum Salmo, nec iam Salar, ambiguusque —

quod momenti est eo maioris quia in ipso Mosella carmine Ouidium est imitatus Ausonius praecipue: cf. A. Zingerle, *kleine philol. Abhandlungen*, Fasc. II. (Oenipont. 1877) pag. 14.

Sic Sapph. ep. us. 32:

Ingenio formae damna *repende meo* [1])

comparetur cum Auson. Prof. III. 31: caduci corporis Damnum repende gloria.

His rebus perpensis iam satis confidenter possumus affirmare eam epistulam Sapphus quam nunc habeamus, saec. IV et a Mario Plotio Sac. et ab Ausonio ut Ouidii carmen fuisse lectam. Vlterius uero etiam licet progredi. Demonstrare enim posse mihi uideor illam exstitisse iam ante Neronis aetatem. Efficitur id e locis satis multis ubi in usum suum illam conuertit scriptor Consolationis ad Liuiam. Quae Consolatio quo tempore sit scripta accurate definire perdifficile neque huius loci est; sed post accuratas Adleri [2]) Gruppii [3]) Baehrensii [4]) aliorum disquisitiones nimiae audaciae incusandus certe non ero, si ante Neronis saltem aetatem fuisse eam conscriptam contendero [5]).

In illa autem Consolatione ad Liuiam complures uersus tot et tantas habent similitudines cum Sapph. ep., ut de fortuito

1) Vide commentarii pag. 50.

2) De Ouidii Consol. ad Liuiam. Progr. Gymn. Anclam. 1851.

3) In *Aeaco* p. 159 sq.

4) Poet. Lat. Min. I. p. 96 sqq.

5) Aliter iudicat post Hauptium (— Epic. Drus. cum comm. Progr. Vniuers. Lips. 1849 — uiro cuidam docto saec. XV poema adscribentem) Huebner, Hermae XIII. 1878. p. 145 sqq., qui putat Consolationem esse scriptam saec. p. Chr. n. secundo. (cf. Buecheler, *Philologische Kritik*, Bonnae, 1878. p. 22). Sed uixisse eius scriptorem ante Senecam persuasit mihi Adler, l.l. p. 13 sqq. Statium quoque ea esse usum docuit G. Luehr, de Statio in Siluis priorum poetarum Rom. imitatore (Diss. inaug. Regimont. 1880) p. 57.

C. Schenkelii disputationem de Consolatione (*Wiener Studien* II. p. 56 sqq.) nancisci me non potuisse doleo.

quodam consensu cogitari nequeat, sed sedulo legisse nostram epistulam Consolationis poetam satis appareat. Conferantur modo Consol. us. 106:

Deflet Threïcium Daulias ales Ityn.

et Sapph. epistulae us. 154:

Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Sic Consol. us. 204:

Ausoniae matres Ausoniaeque nurus,

etsi Ouidius quoque Trist. II. 23 dixit:

Ipse quoque Ausonias Caesar matresque nurusque —

adscita tamen uidetur forma orationis ex Sapph. ep. us. 54:

Nisiades matres Nisiadesque nurus. [1])

Deinde Consol. us. 126:

Haec sunt in reditus dona paranda tuos.

comparetur cum Sapph. ep. us. 211 sq.:

Siue redis, puppique tuae uotiua paramus
Munera, quid . . . . . .

Et mirum quantum inter se congruunt Consol. us. 116 et Sapph. ep. us. 174, ubi *grauidae* dicuntur *genae*, quae locutio, quamquam alibi non reperitur, frustra tamen a Birtio et Baehrensio impugnari mihi uidetur. [2]) Denique *seuera fila* us. 82 ab Hauptio comparantur cum Consol. us. 240:

Pollice quae certo pensa seuera trahunt,

ubi tamen nunc a Baehrensio (Poet. Lat. Min. I. p. 112) ex edit. princ. R(omana) receptum est:

Impia quae certo pollice pensa trahunt.

CAPVT II.

Quodsi igitur satis manifeste demonstratum est Sapphus epistulam iam aetate tam antiqua cognitam fuisse breuique post

1) Cf. Haupt, Epiced. Drus. cum comm. p. 23.
2) Vid. commentarium ad us. 174.

descriptum illum archetypum Ouidianum (saec. VI uel VII) inter ipsas Ouidii Heroides locum tenuisse, minime uiri docti sunt audiendi qui ideo spuriam iudicarunt epistulam quod per totam fere medii aeui aetatem remanserit ignota neque umquam illa aetate cum iis Epistulis fuerit coniuncta. Cuius rei exempla multa e uariis fontibus diligenter collegit Comparetti, l. l. p. 6 sqq. Nec magni mehercule sunt aestimandae inscriptiones illae et adnotationes in recentibus MSS. epistulae Sapphus adscriptae, quibus num ad Ouidium sit referenda disputatur. Cum enim modo, quem supra (pag. 5) indicaui, separatim illa medii aeui temporibus circumlata sit, mirum accidere nequit quod eius aetatis docti opusculum e contextu suo dissolutum Ouidio tribuere nonnumquam dubitabant. Quo pertinet etiam quod in aliquot codd. ridiculum in modum traditur epistulam Graece scriptam in Latinum sermonem — siue ab Ouidio siue ab alio quodam — esse conuersam. Nec profecto opus erat Werfero (in Actis philol. Monac. a Fr. Thierschio editis, Vol. I. Fasc. IV. p. 502) ut eiusmodi scholio inuento ostenderet epistulam nostram non esse ex Graeco traductam! Quod etsi prorsus erat superuacaneum, minime tamen neglegere Werferi libellum licet. Is enim primus rectam ingressus uiam non tam codicum illorum recentiorum habita ratione quam ipsum opusculi textum et orationis habitum exquirens de origine eius disputauit. Et comparatione — ceteroquin non ita accurata [1]) — inter Sapph. ep. et Ouidii opera indubitate genuina instituta ostendisse sibi uisus est »*uerborum et sententiarum rationem atque colorem illius epistulae prorsus esse Ouidiani moris et ingenii*".

Vixdum uero hoc de Sapphus epistula iudicium aperuit Werfer, cum sententiam e regione oppositam protulit Joh. Val. Francke, qui

1) Paucis tantum aucta a Loersio in editione Heroidum, Prooem. p. XLIV sq. et in commentario ad Sapph. ep.

in *Callino* [1]), (an. 1816) p. 43, e uersu 7, sic ut in editionibus plerisque legebatur:

Flendus amor meus est. elegeia flebile carmen

argumentum sibi sumpsit ut Ouidianam originem totius opusculi negaret. Statuit enim uir doctus elegeiam omnino non esse querulum carmen sed lugubre, itaque poetam nostrum in illo us. 7 uersus Ouidii Am. III. 9. 3 sq.:

Flebilis indignos Elegeia solue capillos.
A, nimis e uero nunc tibi nomen erit!

ob oculos habentem peruersa expressisse imitatione. Addidit Francke (in *Addendis ad Callinum* p. 1) alia quoque in illa epistula inueniri interna fraudis uestigia, quae enumerare a proposito esset alienum. Cum tamen neque us. 7 legatur *Elegeia* nisi in recentioribus aliquot uilisque pretii libris, neque ullo iure negarit Francke elegos recte dici carmen querulum seu flebile (uide comm. p. 40 sq.), interna autem illa fraudis uestigia nec diserte indicare nec firmis argumentis comprobare sit dignatus, non est cur in eiusmodi sententia amplius commoremur: quam tamen ideo silentio praetermittere nolui quod Francke primus fraudis illius mentionem iniecit multumque eius iudicium apud doctos ualuisse uidetur.

Cum igitur Sapphus epistulam ab Ouidio esse scriptam Werfer aliique contenderent, negaret Francke, et sic maneret sub iudice lis, Schneidewin anno 1841 in Museo Rhenano N. S. II. 1843. p. 138 sqq. accuratius in eam rem inquirere instituit. Et uariis argumentis in utramque partem perpensis haec summa eius disceptationis fuit, Sapphus epistulam a uiro nescio quo — fortasse ab Angelo Sabino [2]) — scriptam esse saeculo demum

1) Callinus siue quaestionis de origine carminis elegiaci tractatio critica. Altonae et Lipsiae, 1816.

2) I. C. Iahn, de Ouidii et Sabini epistulis P. I. (Lipsiae, 1826) p. 23. n. 1 reprehendit Ger. I. Vossium quod is dixisset (de poetis Latinis, Amstelod. 1642, p. 33) epistulam Sapphus esse scriptam ab Aulo Sabino, illo Ouidii amico. Qua tamen

quinto decimo, sed ante annum eius saeculi quinquagesimum. Quod commentum quomodo uir doctissimus et acutissimus animo sibi fingere potuerit non intellego. Minime enim debebat eum fugere epistulam nostram iam legi in codice Francofurtano, scripto saec. XIII; id quod diu ante Schneidewinum ab Heinsio Loersio Iahnio aliis erat demonstratum. Si quis uero totam epistulam accuratius perlegerit, uidebit inesse in ea res haud paucas, quas illius aetatis docti scire nullo modo potuerint, nempe traditas in iis tantum libris, qui extremo demum saeculo XV in hominum notitiam peruenerint. Cuius rei exempla nonnulla uide apud Hauptium, Epic. Drusi cum comm. p. 24.

Neque ipse Schneidewin in opinione sua permansit; quam tamen propterea tantum abiecit quod in Excerptis illis Parisinis saec. XIII uersus aliquot epistulae Sapphus legi resciuerat [1]). Quibus quamquam cogebatur concedere epistulam iam ante medii aeui tempora fuisse cognitam, nihilominus perseuerabat in sententia sua, minime, ut ipsi uidebatur, refellenda, spurium esse opusculum Ouidiique nomine indignum. Argumenta, quibus tutatus est illam sententiam, partim iam alibi a nobis sunt relata. Sic in commentario uidimus in us. 4:

Hoc breue nescires unde mouetur opus

neque illud *opus mouere* neque indicatiuum *mouetur* esse improbandum uel ab Ouidio alienum; neque inde quod aliorum poetarum carmina lectitasse se ostenderet Sapphus epistulae poeta, effici posse ab ipso Ouidio eam scriptam non esse [2]).

Neque, ut supra est demonstratum, e uerbis Marii Plotii Sac., ubi Atthidis nomen ex Ouidio citat [3]), concludi ullo modo potest in genuina Ouidii epistula scriptum fuisse eius nominis

---

in re uehementer errauit Iahn. Nam Vossium cum ibi dicat *Sapphus epistulam* significare uelle *epistulam missam a Phaone responsoriam* (cf. Ouid. Am. II. 18. 34) manifestum est. Idem enim Vossius paullo supra, l.l. p. 29, epistulam Sapphus ad Phaonem inter ceteras ab ipso Ouidio scriptas diserte nominat.

1) Cf. Schneidewin in Mus. Rhen. N. S. III. p. 144.

2) Vide commentarium ad us. 68; 180.

3) Mus. Rhen. N. S. II. p. 144.

genetiuum, nostram igitur ab alio quodam esse confectam.

Vnum uero restat Scheidewini argumentum, ipso iudice iam per se satis firmum ut epistulam ab Ouidio abiudicandam esse ostendat, scilicet non congruere inter sese Sapph. ep. us. 181:

Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam —

et ea quae dixerit Ouidius Am. II. 18. 34:

Det uotam Phoebo Lesbis amata lyram —

Vnde statuit Vir Clar. scriptorem Sapphus epistulae illum ex Amoribus locum non intellexisse eoque praue esse usum. Quae res cum primo aspectu difficultatem uideatur praebere haud contemnendam, accuratius paullo est pertractanda.

CAPVT III.

In elegia ad Macrum missa — Am. II. 18 — scribit Ouidius, dum Macer epicis pangendis carminibus det operam, se leuiora tractare argumenta, et a nimis elata et grande sonanti tragoediae Musa se iam conuertisse ad scribendas Amandi Artes et Epistulas:

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris, ...
  Ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis! . . . . .
Aut quod Penelopes uerbis reddatur Ulixi,
  Scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas:
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iaso
  Hippolytique parens Hippolytusque legant,
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
  Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae.

Ita indicatis Heroidum epistulis, quas ipse scripserit, Ouidius iam enumerat epistulas quas responsorias ad singulas rescripserit aequalis et amicus A. Sabinus [1]):

1) Cf. de eo ex Pont. IV. 16. 13 sqq. I. C. Iahn, de Ouidii et A. Sabini epistulis cet. De tribus epistulis sub illius nomine Ouidii epistulis adiectis uide O. Iahnium in *Zeitschr. für die Alterthumswiss.* 1837. n°. 77. p. 631. C. E. Glaeserum in Mus. Rhen. N. S. I. p. 437—442.

Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diuersis rettulit ille locis!
Candida Penelope signum cognouit Ulixis:
Legit ab Hippolyto scripta nouerca suo:
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae:
Quodque legat Phyllis, si modo uiuit, adest:
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera uenit.
Det uotam Phoebo Lesbis amata lyram.

Quem uersum ultimum rectissime] interpretatus est Schneidewin: »Sappho iam fausto responso a Phaone exhilarata — per Sabini epistulam — et amata, lyram uotam Phoebo donet".

Ex hoc autem loco efficit Schneidewin Sapphus epistulam scriptam esse non ab Ouidio sed ab imitatore quodam ineptissimo, qui ad illum uersum Am. II. 18. 34, parum a se intellectum, peruerse admodum respexerit uersu 181:

Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam —

ubi scilicet Sapphonem uouere lyram Apollini, non si fuerit a Phaone amata, sed si illaesa ex saltu Leucadio euaserit et amoris aestu fuerit liberata [1]).

Attamen, ut omittam interim alia argumenta ad impugnandam illam sententiam idonea, qua tandem ratione possit explicari epistulae poetam locum illum ex Amoribus non intellexisse? Nam etiamsi ille non fuerit Ouidius, sed imitator nescio quis, tota mehercule epistula ostendit fuisse hominem et rei poeticae peritissimum et in arte, qua excelleret Ouidius, plurimum uersatum. Et quo modo ueri est simile eiusmodi scriptorem illa aetate non intellexisse quod hac nostra aetate quiuis uel mediocriter litteris imbutus nullo negotio intellegat [2])? Quasi uero difficilis sit uel contortus locus:

---

1) Adsensi sunt Schneidewino in illa opinione C. Lehrs, *die sogenannten Ovidischen Heroiden* in Prooem. ad Horatium, p. CCXXIV. n., A. Riese, Praef. ad Ouid. Tom, I. p. X. n. 1, alii.

2) Minime uero sequimur Bodensteinium negantem l.l. pag. 6, si reuera non congruerent inter se quae de epistulis suis dixerit Ouidius et ea quae in ipsis legantur, etiam tunc Ouidianam earum originem posse admitti; Ouidium enim singulas suas

Det uotam Phoebo Lesbis amata lyram.

Quae uerba, mea quidem sententia, tam perspicua sunt et dilucida, ut dubitationi locum praebere nequeant. Aliter enim explicari non possunt atque eo modo quo ipse Schneidewin est interpretatus. Nam *det* eo loco cum Franckio [1]) uertere per: *iniquo amatoris responso cogatur dare*, error est manifestus, ortus e praeoccupatis opinionibus; nec petitum id esse apparet ex ipso elegiae uerborum contextu sed e praue intellectis ultimis epistulae uersibus.

Vitus Loers, qui iam antea, in Prooem. ad Ouidii Her. p. XLVI, studuerat comprobare Sapph. ep. uersum 181 cum uersu illo Am. II. 18. 34 optime congruere, et argumentum inde petiuerat quo probaret epistulam esse genuinum Ouidii opus, sententiae Schneidewini minime accessit. Contra in Mus. Rhen. N. S. IV. p. 45 sqq. opinionem protulit poetriam iam antequam saltus periculum fecisset, faustum responsum a Phaone accepisse, itaque non desiluisse, sed tamen Apollini donasse lyram, quam cum uouisset deo si desiliens de Leucate amoris aestu fuisset liberata, optime iam tunc posset dare cum alio remedio eoque meliore amori eius fuisset consultum.

At diligentior inuestigatio aliter prorsus sese rem habere docebit. Primum enim, ut sagaciter monuit Comparetti l. l. pag. 15, si Sappho lyram suam uouit Apollini, ipsa rei natura ostendit referendum id esse ad saltum de Leucate promunturio; lyram igitur oueri Apollini *Leucadio*. Nam ille in eo monte templum habebat celeberrimum. Quo respicit Sapph. ep. us. 165 sq.:

---

epistulas indicare ibi accurate noluisse. Cuius rei documentum habere sibi uidetur Bodenstein in Am. II. 18. 21:

Aut quod Penelopes uerbis reddatur Ulixi.

Scilicet in eo uersu illud *reddere* minus accurate esse dictum, quia epistula illa minime fuerit responsoria; *reddere* tamen potuerit dici tantum de responso. At nota res est *epistulam reddere alicui* Latine nihil aliud significare quam *epistulam ei cui sit inscripta tradere.*

1) In *Addendis ad Callinum*, p. 1. Cf. etiam I. C. Iahn, de Ouidii et Sabini epistulis cet. p. 23. n.

Phoebus ab excelso, quantum patet, aspicit aequor:
Actaeum populi Leucadiumque uocant.

Leucadio autem Apollini erant obligati illi tantum qui eius beneficio illaesi ex saltu euaserant, neque aliud quicquam nisi prosperum saltus euentum poterat precari Sappho [1]). Minime enim est cogitandum eam ab hoc deo petiisse ut Phaon ex Sicilia rediret et amori ipsius responderet: hoc poterat efficere non Apollo, sed Venus. Quod ipsa poetria indicat us. 57 sq.:

Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos, —
Nam tua sum — uati consule, diua, tuae.

Apollo uero in totam hanc amorum fabulam introduci non potest nisi ea lege ut mederi amori illorum putetur qui de Leucate in mare se praecipitarint. Sappho igitur tunc demum lyram suam potuit dare Phoebo, cum saltus periculo feliciter esset perfuncta. Phaon autem responsum Sapphoni faustum — et faustum profecto erat, nam:

Det uotam Phoebo Lesbis *amata* lyram —

prius mittere non potuit, quam Sappho iam in mare se deiecerat. Etenim cum apud omnes scriptores antiquos saltus de Leucate promunturio semper fuerit Sapphus et Phaonis amorum caput et momentum praecipuum, minime est credendum uel Ouidium uel Sabinum a communi fama et antiquitus accepta opinione tam procul recessisse, ut Phaonem fingerent Sapphoni scripsisse se illius amori respondere, eum igitur responso suo perfecisse ut Sappho saltu faciendo absisteret. Nemo enim non uidet in eiusmodi epistulis, quae uersentur in argumento uere dramatico, ipsum rei cardinem esse τὴν καταστροφήν, exitum fatalem, qui homini immineat et qui lectoribus notus esse debeat. Quae fati necessitas si abest, epistula naturae suae et

1) Qua de causa non admittenda uidetur coniectura Diltheii (de Callimachi Cydippa, p. 118. n. 1) quod Sappho in mare se demissura lyram suam Apollini uouere se uelle dicat, spectare ad lyram aliquam ut Sapphus in Mytilenaeo Apollinis templo adseruatam uisentibusque monstratam. Cf. Comparetti, l.l. pag. 15. n. 3.

proposito non congruit: caret enim illa ui et efficacitate tragica, quae in ipsa epistulae indole posita est [1]).

Quodsi igitur minime est dubitandum quin et Ouidius et Sabinus opinionem antiquitus acceptam secuti, sibi finxerint Sapphonem reuera de Leucate desiluisse, iam nullo modo potest explicari qua ratione ductus Sapphoni scripserit Phaon epistulam, qua amorem suum ei declarauerit, nisi statuas cum Maehlio [2]) et Comparettio tunc demum responsum illud misisse Phaonem, cum Sappho iam ad remedium discriminis plenum refugisset. Neque aliud quicquam ex ipsius epistulae Sapphus us. 167 sqq. apparet:

> Nec mora, uersus amor figit lentissima Pyrrhae
>   Pectora, Deucalion igne leuatus abit.
> Hanc legem locus ille tenet......

Deucalion igitur cum Pyrrham perdite amaret, deiecit se de Leucate promunturio, nec tantum illaesus ex saltu euasit, sed etiam in ipso saltu faciendo amoris aestu est liberatus; amor autem transiit in pectus Pyrrhae, antea *lentissimum*, nam:

> Hanc legem locus ille tenet.....

Similiter etiam Sappho postquam desiluit liberatur ipsa amore, qui lentissimum simul tangit Phaonis pectus; post saltum igitur uotam Phoebo lyram datura est iam non amans, at uero *amata*, id quod testatur Sabiniana illa Phaonis epistula [3]), Ouid. Am. II. 18. 34.

Lectio uero uersuum 169 sq., quam supra dedimus quamque *H*(arleiano) et *F*(uldensi) libris debemus, uel eadem fere iam olim ab Heinsio commendata — qui pro *figit* .... *abit* scripsit ex codd. suis *tetigit* .... *erat*, — impugnata est a nonnullis, ueluti a I. C. Iahnio (in comm. ad h. us.), qui obicit fabulam quae illa lectione contineatur a tota antiquitate ignorari. At

---

1) Cf. Comparetti, l.l. p. 17.
2) In Mus. Rhen. IX. p. 624.
3) Cf. Birt, Mus. Rhen. XXXII. p. 400. n.

profecto non tam desperate se habet res et quaedam saltem indicia habemus [1]). Neue admodum miremur fabulam hic narrari aliunde non satis notam: apparet enim ex tota epistula poetam singularum rerum cognitione haud leuiter fuisse imbutum, neque absonum est statuere eum Alexandrinos maxime esse secutum. Ab his enim populares Lesbiorum fabulas de Sapphone esse collectas probabiliter admodum contendit Comparetti, l.l. pag. 51 sqq. Cum iis autem fuisse coniunctam miram fabulam de Deucalionis saltu amatorio sagaciter coniecit, ut iam supra uidimus, Th. Birt, l. l. pag. 432; quae coniectura eo magis placet quia in Lesbo insula et oppido cuidam et monti Pyrrhae erat nomen.

Vtut est, hoc pro certo affirmare iam non dubito, nulla alia fabula nisi ea, quae e lectione a nobis ex *H.* et *F.* recepta (uel, quae eodem redit, Heinsiana) tradatur, posse explicari quomodo congruat Ouid. Am. II. 18. 34:

Det uotam Phoebo Lesbis *amata* lyram

non dico cum Sapph. ep. us. 181, sed cum communi fama de Sapphone et notis eius cum Phaone amorum fabulis. Hac uero lectione admissa, optime simul inter se conuenire patet Am. II. 18. 34 et Sapph. ep. us. 181.

Summa igitur disputationis nostrae huc redit, nullo iure ex Amorum loco citato posse effici, epistulam Sapphus quam nunc habeamus, diuersam esse ab illa quam scripsisse se tradat ipse Ouidius.

Vna cum sententia sua de us. 181 aliud etiam argumentum, quo epistulam nostram spuriam esse demonstraret Schneidewin ex iisdem Ouidii uerbis petiuit. De quo tamen pluribus agere nil opus est. Statuit enim Vir Cl. Sapphonem in genuina Ouidii epistula dum *strictum ensem* manu teneret Phaoni scripsisse; quod effecit nimirum e uerbis:

---

1) Cf. comment. ad us. 169.

Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae —

de quibus dixit: »Jedermann wird zugeben, dasz es das Natürlichste wäre, die Worte *tenens strictum ensem* auch auf den Pentameter und folglich auf eine ähnliche Situation der Sappho in dem von Ovid wirklich geschriebenen Briefe zu beziehen". Refutauit haec haud illepide Vitus Loers (in Mus. Rhen. N. S. IV. p. 42), concedens totam illam opinionem prorsus recte se habere, modo pro *das Natürlichste* legeretur *das Unnatürlichste!* Cf. etiam I. Maehly, Mus. Rhen. IX. p. 624.

CAPVT IV.

Paucis annis postquam Schneidewin Sapphus epistulae auctoritatem et fidem tam acriter impugnarat eamque ab imitatore quodam in morem Ouidianum scriptam esse adseuerarat, pedibus iuit in illius sententiam Lachmannus, qui in noto illo Indice Lection. Vniuers. Berol. aest. 1848 (pag. 3) ineptam et non excusandam iudicat eorum superstitionem, qui illam epistulam ex editionibus Ouidianis noluerint eicere. Eo autem ad iudicium tam seuerum ferendum adductus est Lachmannus, quod obseruasse sibi erat uisus in us. 139 illud *furialis Erichtho* sumptum esse e libro sexto Lucani. Qua in re secuti sunt eum uiri docti complures, Haupt [1]), Riese [2]), Birt [3]), alii, in quorum numero et Luc. Mueller est (de re metr. p. 49), qui adeo hac Lachmanni argumentatione est conuictus, ut, quamquam nulla interna fraudis uestigia inuenisset, unum tamen *furialis Erichtho* iam satis luculenter demonstrare putaret epistulam genuinum Ouidii opus non esse.

Rectissime uero, ni fallor, Lachmanno a Comparettio (l. l.

---

1) Epic. Drus. p. 24.
2) Praef. in Ouid. Tom. I. p. X.
3) In Mus. Rhen. XXXII. p. 388. n. 2.

pag. 19) est responsum non licere neque ipsum Ouidium neque quemquam alium poetam uel oratorem Latinum, bonum uel malum, tam inauditae neglegentiae accusare, ut Sapphonem nominantem fecerit magam quamdam, quae Pompeii demum aetate uixerit.

Neque omnino Erichtho illa Lucaniana, quae erat maga et »manes exire sepulcris" poterat cogere, eadem potest esse atque ea, de qua hic agitur, quippe quae Furiarum more homines exagitet. Vnde et duo minoris pretii codices exhibent *Erinys* [1]), quam tamen lectionem e glossa esse ortam uerisimile est.

At rogare uelim, num illud est credendum Lucanum primum *Erichtho* nomen usurpasse, uel magam illam Thessalicam fuisse primam, quae eo nomine appellaretur? Nonne ipsa nominis forma eo ducimur ut Erichtho olim cum Erinysin coniunctam fuisse sumamus? Cum praesertim constet numerum Furiarum ad tres esse reductum aetate demum Euripidis [2]), multasque olim fuisse Erinyes, quarum memoria apud scriptores nobis superstites non exstet. Antiquitus uero iam cognitum fuisse *Erichtho* nomen, docet nos patera perantiqua Herbipolitana [3]), in qua feminae cuidam est adscriptum nomen ΕΡΙΧΘΩ. Quamquam uero non satis constat quae fuerit illa femina, non sine ueritatis quadam specie potest conici [4]) eam fuisse nympham marinam, cui furialis illa natura postea sit attributa. Eo autem nomine magam illam Pompeianam esse significatam mirandum non est. Feminis enim, quae magicam artem profiterentur, nomen arti conueniens saepius esse inditum patet uel ex Plut. de orac. def. 401. a. [5]).

---

1) Similiter *tristis Erinys* in nuptiis Iasonis et Hypsipyles faces infaustas praefert Ouid. Her. VI. 45, et Canace *Erinyes atras* rogat ut Hymenaei loco faces in ipsam ferant, quarum igne luceat rogus, Her. XI. 103. Cf. Met. VI. 429 sqq., Loers ad Her. II. 117. Sic etiam Culex, 246; Octauia fab. 23 sq.

2) Cf. A. Rosenberg, *die Erinyen* (Berol. 1874), pag. 18.

3) *Monumenti del Istit.* X. Tab. VIII. Flasch, *Annali*, 1874, p. 180. *Archaeol. Ztng.* 1880. p. 139.

4) Cf. de Duhn, *Festschrift der Heidelberger Universität zur Begrüssung der* 36. *Philologen-Versammlung zu Karlsruhe* (1882). p. 117—122.

5) Lucanum imitari uidetur Dracontius, Carm. Prof. V. 180 (Baehrens, Poet. Lat. Min. V. p. 143).

Cum igitur Erichtho nomen iam multo ante Pompeii aetatem exstiterit et maga illa Lucaniana cum Sapphone nihil quicquam habeat commune, minime potuit id desumere huius epistulae poeta e Lucani carmine. Cadit igitur tota illa argumentatio, qua post Lucanum demum epistulam esse scriptam euinci est tentatum.

Sed uerbum addere mihi liceat: aequo enim animo Erichtho illam ex epistula tolli patiar. In uetustissimo et optimo codice *f.* non legitur *Erichtho* sed ENYO [1]), quod neglexerunt critici omnes, cum de dea bellica hic agendum non esse uiderent. Neque ego umquam de illa lectione admittenda cogitaui donec perlecta nuper Orestis fabula — cuius auctorem esse Dracontium iure uidentur mihi statuisse — duo inueni locos, in quibus Enyo aperte coniungitur cum Furiis; us. 497 sq.:

Et Furiis augete malum mortale uenenum,
Torqueat auctores scelerum crudelis Enyo.

Et us. 785:

Laudat Enyo nefas, dextram culpabat Erinys.

Apparet igitur illius poetae aetate *Enyo* non solum fuisse deam bellicam sed et eam, quae uersui nostro foret aptissima, Erinyi consimilem. Facile autem ex hac lectione, praue intellecta, potuisse oriri in codicibus *Erichtho*, docemur loco apud Martialem VI. 32. 1, ubi pro *Enyo* (ut uera ibi est lectio) in multis codd. est *Eripo*; quod quin nullo negotio potuerit mutari in *Ericto* uel *Eritho* — sic enim pro *Erichtho* exhibent in nostro us. codd. plerique — nemo dubitabit. Praestat ergo fortasse id quod pro *furialis Erichtho* proposuerim: *feralis Enyo*, ut similiter Lucan. X. 59: *Latio feralis Erinys* et praesertim Petron. CXX. 6 sq.:

Tres tulerat Fortuna duces, quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Enyo.

(Ubi eadem in codd. est uarietas inter *Enyo*, *erinis*, *erynnis*,

---

1) ENIO est etiam in m_4; EN O in v_9.

Erinnys). Cum tamen nullum aliud talis *Enyus* uestigium apud scriptores antiquos repererim, hanc quidem rem in incerto relinquere tutius uidetur.

CAPVT V.

Sed iam ipsam epistulam accuratius percenseamus, et praeiudicatis opinionibus liberi consideremus quae ex illius interno quem uocant habitu argumenta satis firma possint peti ut Ouidiana eius origo iure aliquo uel affirmetur uel negetur. Qua in re praemonendum utique est cautione et prudentia summa esse opus. Etenim cum ceterae Heroidum epistulae, quas quin scripserit Ouidius non est dubium, traduntur nobis in codicibus bonis et antiquis, ex quibus duo (saec. IX et X init.), »sunt inter praestantissimos, qui usquam sunt, ueterum scriptorum libros" [1]), ita ut genuina poetae manus plerisque locis possit deprehendi satis certe — longe aliter agitur de epistula Sapphus. Cuius antiquissimum exemplar cum sit tribus uel quattuor saeculis recentius quam ceterarum Heroidum codices optimi (neque enim Excerpta illa Parisina ad hanc quidem rem multum conferunt), textum exhibent codices nobis noti et corruptum et interpolatum, ita ut nonnusquam dubitatio, immo suspicio lectori oriatur, id quod nemo profecto mirabitur qui ex. gr. Heroidum MSS. antiquissimis et iis, quae Francofurtano nostro sunt aequalia, inter se comparatis intellexerit quam sit late grassata iis temporibus librariorum mutandi et interpolandi libido. Quare dolendum magnopere est quod tot et tam acris iudicii uiri de emendandis Ouidii epistulis egregie meriti, hanc epistulam plerumque neglexerunt. Cuius igitur iusta recensio

---

1) Cf. Merkel in edit. Ouid. Teubner. I. p. VI.

cum uerborum emendatione coniuncta, post praeclaras Heinsii et diligentes Burmanni curas neglecta fere iacuit, donec nuper demum Baehrens (in commentatione saepius iam significata) ostendit quantum inde fructus, uiam si ingrediamur rectam, posset redundare. Quodsi enim inuenimus quaedam insolenter dicta uel mire expressa, iudicium tamen ex iis de epistulae origine facere non possumus antequam persuasum nobis habemus sic et non aliter scripsisse ipsum poetam.

Quod autem attinet ad artem metricam, inquirendi in eam partes sibi susceperunt Eschenburg (*Metrische Untersuchungen ueber die Aechtheit der Heroides des Ovid* [1]) et Theod. Birt (Mus. Rhen. XXXII. p. 389 sqq.). Quorum ille comparationem instituit accuratissimam inter singulas Heroidum epistulas ceterosque Ouidii libros. Et summa eius disputationis fuit in Sapphus epistula, quamquam ea ceteris in rebus metricis cum Ouidii genuinis epistulis optime concineret (uid. commentarium meum ad uss. 19, 23, 43, 85, 103, 111, 184), duas tamen inesse res quae nullo exemplo possent defendi. Minime enim recte se habere uersum 40:

Nulla futura tua est, nulla futura tua est

in quo pentametri partes prior et posterior essent plane eaedem; deinde in us. 96:

Non ut ames oro, uerum ut amare sinas

elisionem syllabae in *m* exeuntis in parte pentametri posteriore inueniri, quae ab Ouidio aliena esset iudicanda.

Cum uero de utroque illo uersu in commentario iam fusius egerim, hoc tantum addere uelim uideri mihi me demonstrasse in neutro inesse quicquam quod non miserae codicum conditioni tribueretur potius quam de uniuersa epistula suspicionem moueret.

Alia quaedam contra metricam artem protulit Theod. Birt, l.l. p. 390 et 393. n. 3, scilicet:

»Versus 113 *Postquam se dolor inuenit, nec pectora plangi* non

1) Progr. Gymn. Luebeck. 1874.

»solum odiosa est forma II [1]) [quae ab Ouidio fere aliena est. »pag. 386], sed in primum eius pedem spondaica illata uox, »id quod non concesserunt sibi nisi scriptores caesurarum ne»glegentissimi. — Ad formam II inclinant us. 83 et 173. — »Sapphus scriptor ita artem emolliuit ut quinquiens deciens post »quartum trochaeum frangeretur sermo, hoc est semel in $5\frac{3}{5}$ uss. »(in 18 uss. Epp. ex Ponto IV, in $14\frac{1}{4}$ ex Ponto I, in $29\frac{1}{2}$ »Trist. I, in 17 Met. VII, in $17\frac{1}{3}$ Her. I. II. IV. V. VI. VII. »X. XI, in $11\frac{1}{7}$ Her. III. VIII. IX. XII. XIII. XIV, nusquam »in Phyllide, in 8 in Deianira)". —

Versum 113: *Postquam se dolor inuenit, nec pectora plangi* ob metricas rationes esse uituperandum libenter concedo. Minime tamen argumentum inde sumere uellem quo demonstraretur hanc epistulam non esse scriptam ab Ouidio. Apparet enim ex aliis indiciis hunc uersum praue esse traditum in codicibus et certo certius a poeta aliter esse fictum. Siue autem est emendandus in modum quem ego in commentario (p. 82) proposui, siue aliud quicquam restituere malueris, hoc constat opus esse emendatione; neque igitur illud *se inuenire* neque forma illa uersus in quaestione de totius epistulae origine iustum pondus habere possunt.

Quod uero ad »odiosam" formam II inclinant uersus 83 et 173, cur id nos moueat non uideo. Versus enim uterque quod reprehendas nihil habet. Quid, obsecro, interest inter formam uersus 83 et — quos exempli causa cito — Her. II. 37 uel Met. VIII. 509? Aut qua tandem in re differt forma uersus 173 e. gr. ab Her. IV. 137, VI. 79, VII. 59; 177, X. 59, XI. 101, A. A. I. 607; 717, II. 75, Met. I. 508; 617, IV. 266? Neque e uersuum, in quibus post quartum trochaeum inciditur, numero, firma possunt peti argumenta, cum praesertim a Birtio non

---

1) H. e. uersus in quo post secundam simul arsin et quartam frangitur sermo, cuius exemplum Birtio est uersus Ennianus:

Exspectans si mussaret quae denique pausa.

Cf. Birt, ad hist. hexametri Lat. symb. (diss. inaug. Bonn. 1876) p. 7.

omnes Ouidii libri in hac re sunt comparati, sed praeter Heroides Tristium tantum liber I, ex Pont. I et IV, Met. VII. Et profecto, si in Sapphus epistula post quartum trochaeum frangitur sermo quinquiens deciens, hoc — recte si computaris — semel est non in $5\frac{3}{5}$ sed in $7\frac{1}{3}$ uersibus, ita ut epistula nostra satis bene congruat ex. gr. cum Her. IX (Deianirae), quam quin scripserit Ouidius, apud ipsum Birtium dubitationi obnoxium non est.

Omnino uero perspicuus nobis non est praeclarus ille fructus quem Birtius e metricis suis tabellis hausisse sibi uidetur. Etsi enim dandum ei est in Ouidii carminibus summatim fere comparari inter se posse singularum uersuum formarum numeros, minime tamen firma inde norma statui licet; nisi forte persuadere nobis uolumus Ouidium pegisse uersus ad certam amussim conscio animo prius a se constitutam. Quod in uniuersum ab optimo quoque poeta cuiusque aetatis et nationis est alienum. Neque hoc praetermittendum est legitimum sonum nos callere non solum »digitis", uerum etiam »aure"; hac autem si iuste utamur, aliter iudicari de metrica epistulae arte uix posse arbitror, quam iudicet uir in his rebus summae auctoritatis Luc. Mueller, qui (de re metr. p. 49) scribit Sapphus epistulam et Ouidii Heroides indubitate genuinas, siue compositionem carminum seu uersuum sermonisque artem respexeris, inter se esse simillimas.

Ad rem grammaticam et dictionis poeticae rationem ac formam epistulae si animum attendimus, statim uidemus incredibilem in iudicando de ea doctorum dissensionem; quam cum alii uocarint ineptam, rusticam, infelicis cuiusdam imitatoris fetum, alii pulcerrimam, elegantissimam, Ouidii ingenio dignissimam, nos uiam mediam eandemque et tutissimam et ueram ingressi ita aestimemus, ut Nasonis uirtutes non minus quam uitia in ea conspici profiteamur. Abstineamus modo ab iudicio ex aestheticae quam uocant artis praeceptis petito, quibus quam

parum proficiamus docet exemplum Lehrsii, qui illis obstrictus dum uitat humum, nubes et inania captans, omnes fere Heroides indubitate genuinas ab Ouidio abiudicare non uerebatur. Praestat profecto comparatione instituta diligenti cum ipsis Ouidii carminibus dignoscere quid solidum crepet et pictae tectoria linguae. Qua in re quod hic illic quaedam uarii docti uituperarunt et Ouidio adscribi posse negarunt — de iis fusius exponere non opus est post ea quae ad singulos uersus (et maxime quidem ad uss. 4, 7, 24, 49, 68, 79, 93, 133) in commentario diximus. Etenim argumentis, ni fallor, firmissimis est demonstratum eas obseruationes dubitationi ansam non praebere minimeque confirmari iis sententiam Teuffelii statuentis carmen nostrum propter sermonis rusticitatem et quod ea quae Ouidio sint propria, ridicule distorta ibi sint et deprauata, suspiciones habere maximas! Restat tamen iudicium omnium fere uehementissimum Theodori Birtii asseuerantis »sermonem putide inflatum uocumque ac sententiarum iteratarum artificium frequentatum usque ad taedium clamare epistulam esse subditiciam". Quam sententiam tueri se arbitratur uir doctus argumentis sat multis, quae tamen re accuratius perspecta ad pauca redeunt. Comprobasse enim nobis uidemur neque us. 153 *pie* aduerbium posse offendere, neque us. 125 in *regionibus* numerum pluralem suo sensu carere, neque in us. 53, sic ut ex codice g_7 optime sit emendatus, quicquam esse reprehendendum, nec *grauidae genae* (us. 174) uel *ora uigilant sensibus* (us. 132) suspicionem mouere posse, nec *lacerare pectora mora* (us. 212) locutionem esse ridiculam. Obtinuimus porro, nisi omnia me fallunt, us. 153 et 213 inexercitati esse poetae haud concedi, et quod in us. 154 uarietur Am. III. 12. 32, id non esse documento illum poetam non fuisse Ouidium. Quod uero contra us. 181 protulit Birt, *chelyn* uocabulum a nullo poeta Romano esse applicatum ante Senecam, primo id minus recte est dictum: *chelys* enim iam »ante Senecam" (Terent. de metr. 2136. VI. 389 K.) pro *lyra* adhibuit Pomponius (ap. Ribbeck, fragm.

Trag. Rom. p. 231. 8). Et quid tandem ex eiusmodi obseruatione efficitur? Talis locutio, quae argenteae aetatis poetis communis est plerisque, cur nequit probari si apud poetam aetatis aureae semel inuenitur, a quo eam sumpserunt fortasse recentiores? Nullum enim certum habemus indicium quis primus eam in usum introduxerit. Nec quicquam uideo obstare quominus et Nasonem hoc uocabulo usum esse arbitremur, cum id non ita multo post eum a multis usurpatum esse constet; apud Graecos uero poetas χέλυς pro *lyra* fuerit usitatissimum, immo ab ipsa Sapphone (fr. XLV. Bergk) consimiliter adhibitum; *testudo* autem ea notione iam a poetis Ouidio prioribus saepius sit dictum.

Aeque ac *chelyn* alienum ab Ouidio iudicauit Birt uocabulum *barbitos*: »barbitos aliena ab Ouidio poetisque his omnibus praeter mele Horati (recurrit apud Claudianos)". At cur tandem Horatio [1]) licuit uti illo uocabulo, non licuit Ouidio, praecipue ubi agit de poetria Lesbiaca, cui, ita ut et Anacreonti, barbiton fuisse instrumentum docet Athenaeus IV. c. 80? Ad qualem uero euentum ducant eiusmodi obseruationes de uocabulo aliquo semel apud poetam lecto, uidemus in Palmero, qui in Praef. ad Ouidii Her. p. VIII, contra epistulam nostram profert *maeror* (us. 117) apud Ouidium non inueniri! Quod uellem non temere excidisset uiro de Ouidii Epistulis tam egregie merito. Etenim cum Ouidius et *maerere* uerbo et *maestus* adiectiuo utatur saepissime, *maeror* autem inde ab Ennio sexcentiens ab omnibus fere et soluti et uincti sermonis scriptoribus Latinis dicatur, quo tandem iure prohibetur poeta quominus id uocabulum adhibeat, nisi hac lege ut bis terue minimum eodem in uariis carminibus uti debeat? Quasi uero non facili negotio apud quemuis scriptorem magna series posset enumerari uerborum quae semel tantum apud eum leguntur.

1) C. I. 1. 34: Lesboum tendere barbiton; XXXII. 4: barbite — Lesbio primum modulate ciui.

Quod autem uituperauit Birt, inepte puellis Lesbiacis adponi *aequoreae* adiectiuum (us. 199), respondere possim tollendum hoc uitium esse mutatione lenissima legendo *aequaeuae*. Sed etiamsi id admittere nolueris, hoc mihi certo certius constat ex eiusmodi obseruationibus — praesertim in misera codicum huius epistulae conditione — nihil quicquam posse effici, nisi ut statuamus textum hic illic esse corruptum. Ex iis uero colligere totam epistulam ab Ouidio esse abiudicandam, hoc est nodum scindere, non soluere, neque id cuiquam nisi praeiudicatis opinionibus obstricto potest probari.

Sed prae omnibus illis quae contra hoc carmen prolata iam enumerauimus, ne iniuste sinamus obscurari quae recta, pulcra, uere Ouidiana continet. Et ut quid sentiam libere eloquar, legenti mihi saepius uno tenore Ouidii Heroides, statim uero post eas Sapphus libellum, quasi sponte uenit in mentem illud »Vt titulo careas, ipso noscere colore". Certe cum Ouidii Epistulis optime conueniunt et scribentis morum ingeniique descriptio et, quae hic illic apparet, ironica quaedam propositi tractandi ratio. Et insunt profecto in eo opusculo plurimi et uersus et dictiones tam ingeniose excogitatae tamque lepide expressae, ut uel ex his solis ipsius Ouidii manum agnosci haud iniuria contendere audeamus. Nolo hic repetere totius epistulae sententiarum ordinem et orationis cursum, qui prorsus sunt moris Ouidiani — post accuratam enim eius explicationem, quam dedit Bodenstein in libro saepius iam significato (p 9 sqq.), nihil iam possem facere nisi ut Latine redderem quae ille dixit Germanice [1]); — at qui tandem »inepto cuidam imitatori" tribuamus tantam et rei poeticae notitiam et stili, quo excellebat Ouidius, peritiam, ut faceret tales uersus quales sunt 51 sq.:

1) Optime quoque totius carminis dispositio potest comparari cum iis quae de Heroidum genere in uniuersum dicit A. Hedner in libro: »Tibullus, Propertius et Ouidius Elegiacae apud Romanos Poëseos Triumuiri". Spec. Acad. Lundae, 1841. p. 8.

Nunc tibi Sicelides ueniunt noua praeda puellae:
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse uolo!

uel uersus 77 sq.:

Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.

Vel uersus 11—12, in quibus acumen uere Ouidianum conspicuum esse iam olim monuit Loers:

Arua Phaon celebrat diuersa Typhoidos Aetnae:
Me calor Aetnaeo non minor igne tenet.

Animaduertamus porro quantopere conueniat cum ipsius Ouidii arte appellatio illa ad Phaonem — si unam illam difficultatem us. 96, quae leni admodum mutatione potest corrigi, nimis premere nolueris:

O nec adhuc iuuenis, nec iam puer, utilis aetas,
O decus atque aeui gloria magna tui,
Huc ades inque sinus, formose, relabere nostros:
Non ut ames oro [uerum ut amare] sinas. —
Scribimus et lacrimis oculi rorantur obortis:
Aspice, quam sit in hoc multa litura loco!

Neque imitatori cuidam attribuerim e. g. loci descriptionem pulcerrimam us. 157 sqq., uel illam spei et metus pugnam in pectore Sapphus uss. 175—195, praesertim us. 177, ubi poetria, quae ante de breui sua statura locuta est, ironice et ingeniose exclamat: »Aura subito! Et mea non magnum corpora pondus habent"! Itidem, ut iam de aliis taceam, uersus omnium elegantissimos et Nasonis ingenio dignissimos (215 sq.):

Ipse gubernabit residens in puppe Cupido,
Ipse dabit tenera uela legetque manu.

Quod distichon tam uiuidam tamque concinne expressam rei imaginem lectori ob oculos ponit, ut peritissimum poetam statim agnoscas. Minime profecto hi et alii huiuscemodi uersus locum praebent tali iudicio, esse in ea epistula omnia ita aut contorta aut rustica, ut infelicem Nasonis imitatorem prodant.

Quodsi hic esset imitator, fatendum nobis esset eum de litteris Latinis haud leuiter esse meritum.

Alia accedit res quae haud scio an nemini nisi ipsi Ouidio sit tribuenda. Iure enim obseruare mihi uidetur Comparetti l.l. p. 21; 40, Ouidii ipsius naturam cognosci in persona Sapphus, sic ut in hac epistula nobis proponatur. Quam qualem sibi finxerit Naso docent A. A. III. 331:

Nota sit et Sappho, — quid enim lasciuius illa?

Rem. 761: Me certe Sappho meliorem fecit amicae.

Trist. II. 365: Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas.

Quibus cum uersibus optime congruunt Sapph. ep. uss. 79—84: »Molle meum leuibusque cor est uiolabile telis" cet. Eandem hanc similitudinem deprehendimus uss. 28 sqq. in praedicatione illa de se ipsa poetriae iusta superbia elatae, apud eum quem amat; quod quantopere Ouidio sit familiare, in commentario (p. 48) uidimus.

Denique ne hoc quidem praetermittendum est res satis multas in hac epistula nobis tradi quae aliunde plane sint ignotae. Huc pertinet fabula de Deucalionis Pyrrhaeque amoribus, de quibus tacent reliqui scriptores omnes; item quod ait Sappho se sex annos natam patris praematuram mortem defleuisse; item alia quaedam, quae haud dubie ad ipsum Nasonem sunt referenda potius quam ad imitatorem quempiam. Certe Ouidius in fabulis antiquis erat plurimum uersatus, nec dubium potest esse quin sedulo sit usus scriptis Alexandrinorum, quos fabulas Lesbiorum populares de Sapphone (in quibus primum coniunctus uidetur cum illa Phaon) collegisse admodum probabiliter statuerunt Comparetti et Birt. Et in hoc ipso carmine poetam ante oculos habuisse Alexandrinorum opera, multa sunt indicia; ueluti us. 162 sq., ubi Naias inducitur uerba faciens, quod prorsus esse e more Alaxandrinorum iam supra diximus. Quae omnia haud scio an in hac epistula imitatori cuidam attribui uix possint.

Postremo, ut iam ea quae dixi in breuem conspectum con-

traham: Cum Sapphus quaedam epistula ab Ouidio sit scripta, ut ipse diserte testatur Am. II. 18. 26, cumque ea quam nunc habemus cum eo ipso, quod suae epistulae proprium indicauit Ouidius, optime congruat (Am. II. 18. 34), cumque ea neque in argumenti expositione neque in rebus grammaticis uel metricis a genuinis Nasonis epistulis discrepet nisi paucis in rebus, quas in misero codicum statu librariis potius quam ipsi poetae imputaris, quasque aut iam uarii docti ex coniectura emendarunt, aut emendatione omnino indigere constat, multa uero exhibeat pulcra et eleganter dicta multasque nobis tradat res aliunde ignotas — id quod ab ipso Ouidio exspectari poterat —, qui tandem possimus statuere eam non esse Ouidii? Cum praesertim appareat (ex Exc. Paris.) eam iam diu ante aetatem, qua codices nobis noti fuerint scripti, in codice quodam Ouidiano inter Heroides locum XV obtinuisse, saeculo autem IV et Mar. Plotio Sacerdoti et, ni fallor, Ausonio ut Ouidianam fuisse notam, immo constet eam non ita multo post Ouidii tempora sedulo lectitatam esse a poeta qui Consolationem scripsit ad Liuiam. Nisi forte arbitramur iam proxima post Ouidium aetate alium poetam quempiam eius opus fuisse imitatum, idque non solum modo multis nominibus tam eleganti, uerum etiam seruatis nonnullis rebus quae ipsius Nasonis carmini fuerint propriae. Nec profecto posset explicari quomodo subditiua illa epistula postea, cum intercidisset genuina, in Heroidum numerum fuerit recepta, ut certe recepta haec nostra est.

Quodsi denique miri illius modi, quo epistula nobis est seruata, optime possumus dare rationem statuentes — ut in Prolegomenon initio exposui — Sapphus epistulam, cum ultima esset earum epistularum quae »Heroides" proprie uocentur, facili negotio ex codicibus excidere et separatim scriptoris nomine non munitam circumferri potuisse, non iam uereor ne nimiae arrogantiae arguendus uidear, ubi affirmo hanc ipsam Sapphus epistulam quam hodie habeamus esse genuinum Ouidii opus.

ADDENDA.

In apparatu critico quo Epistulae textum instruxi, desideratur collatio duorum codicum Paris. 8206 et 8244, quos inspicere mihi non contigerat, ut dixi in Prolegomenis p. 14 n. 1. Quod postquam cum bibliothecae nostrae Praefecto communicaui, uir humanissimus, qua est liberalitate, litteris Parisios datis nuperrime impetrauit ut uterque liber Leidam mitteretur ibique a me excuti posset. Sunt autem ambo codices (saec. XV ex.) pretii admodum parui, quare uarias inde lectiones hic adnotare omnes supersedeo. Tantum hoc: cod. Paris. 8206 continet inter Moretum, Ludibria ad Priapum, recentiora quaedam, fol. 46—51 Sapph. ep. inscriptam *Saphos phaoni.* Libri indoles quae sit ut paucis ostendam, selectas citabo lectiones hasce (litterae cursiuae uerba contextus nostri indicant): 12 *minor* minus, 18 Athois ante, 19 *non* hic, 59 *inceptum* intentum, 69 *fine* fraude, 96 sed quod amare, 99 *isses* esses, 125 *regionibus* nationibus *suprascr. man.* 2, 132 *uigilant* uigent, 169 iussus amans tetigit letissima pyre, 174 lacrimas grauidae, 196 substulit, 199 neptuni nuptaque proles.

Cod. Paris. 8244 continet praeter recentiora quaedam fol. 1—6 Sapph. ep. sine titulo. In margine autem adscriptum est: *Ouidius sub no[mine Sap]phus epistolam scrîbit.* Subscriptio est haec: *Finito Libro Referatur Gratia* Χρηστω. *Finis.* Lectiones discrepantes sunt eaedem fere atque eae quas in apparatu critico citauimus e *z*.

Plagulas corrigenti allatae mihi sunt duae commentationes de Sapphone, in quibus de epistulae nostrae auctore breuiter agitur: 1°. »SAPPHO. Memoir, Text, Selected Renderings and a literal Translation, by Henry Thornston Wharton" (Lond. 1885), 2°. »A. Fernandez Merino, Safo ante la crítica moderna. Tercera edición" (Madriti, 1884). Vtraque tamen ad hanc saltem quaestionem quae a me est tractata parum confert. Merino, pag. 46 sqq., nonnulla disseruit de origine epistulae, nec tamen cur ideo mutem sententiam meam uideo. Wharton uero in libro eleganter scripto et nitide edito, pag. 3. n. 1, pauca de ipsa epistula dixit; miro tamen errore ibi putat epistulam spuriam esse iudicatam ab — Heinsio!

CORRIGENDA.

p. 23. ad us. 40: ulla l_8, leg. ulla l_3.
p. 30. ad us. 160: ter *in ras.*, leg. ten *in ras.*
p. 31. ad us. 167: amorm, leg. amorem.

THESES.

I.

Soph. O. C. 106:

ἴτ', ὦ γλυκεῖαι παῖδες ἀρχαίου Σκότου

pro *ἀρχαίου* legendum est *αἰανοῦ* (*αἰανοῦς*).

II.

Soph. O. R. 413:

σὺ καὶ δέδορκας κοὐ βλέπεις ἵν' εἶ κακοῦ

legendum est *σὺ καὶ δεδορκώς οὐ βλέπεις κ. τ. λ.*

III.

Plut. Caes. LXII. med.:

Κάσσιος .... μᾶλλον ἢ πρότερον ἐνέκειτο καὶ παρώξυνεν, αὐτὸς ἰδίᾳ τι καὶ μίσους ἔχων ex codicibus restituendum est correcta interpunctione *παρώξυνεν αὐτοὺς, ἰδίᾳ τι κ. τ. λ.*

IV.

Suid. u. *Ἀπολλώνιος Ἀλεξανδρεύς*:

πατὴρ Ἡρωδιανοῦ τοῦ τεχνογράφου γραμματικοῦ· ὃς ἔγραψε τάδε·

legendum est *τοῦ τεχνογράφου, γραμματικὸς, ὃς κ. τ. λ.*

V.

Plat. Hipp. mai. 294. A. sic legendum est:

ΙΠ. Ἔμοιγε δοκεῖ πρότερον.

ΣΩ. Ὃ ποιεῖ φαίνεσθαι καλά; ὥσπερ γε κ. τ. λ.

VI.

Aristot. Phys. III. 4. m.

τό τε γὰρ γενόμενον ἀνάγκη τέλος λαβεῖν, καὶ τελευτὴ πάσης ἐστὶ φθορᾶς.

Post *τελευτὴ* inserendum est *αἰτία*.

VII.

Catull. XV. 13:

Hunc unum excipio, ut puto, pudenter

legendum est:

Hunc unum excipito, ut peto pudenter.

VIII.

Ouid. Her. XI. 59:

Et mihi »Viue, soror, soror o carissima", dixti

minus recte pro DIXTI e P. est receptum AISTI.

IX.

Consol. ad Liuiam 103:

Te queritur casusque malos IRRISAQVE TALES,
Accusatque annos ut diuturna suos.

legendum est: casusque malos INVISAQVE BELLA.

X.

ibid. us. 183:

Incerti clauduntque domos strepitantque per urbem

corrigendum est: trepidantque per urbem.

XI.

ibid. us. 115 sq.:

Erumpunt iterumque lauant grēmiumque sinusque,
Effusae grauidis uberibusque genis.

Non sollicitanda est lectio *grauidis genis.* Pro *lauant* autem ex R. est restituendum *grauant.*

XII.

Carm. de Ouidii uita et scriptis (H. Hagen, carm. med. aeu. ined. p. 207 sqq.) uss. 13 sqq.:

Romam se transtulerat, ut inter maiores
Famam sibi quaereret, epistolas priores
Scripsit sine titulo, post scripsit Amores.

correcta interpunctione legendum est:

. . . . Epistolas priores
Scripsit, sine titulo post scripsit Amores.

XIII.

Frontin. Strat. I. XII. 5:

Nolite, inquit, milites, trepidare; Lacedaemoniis significatur interitus. Sepulcra enim funeribus ornantur.

Pro FVNERIBVS scribendum est IN FVNERIBVS.

XIV.

Macrob. Sat. VII. IV. 12:

quia non OMNIA, quae esui sunt, una natura est.

Legendum OMNIVM.

XV.

Liu. XXXVII. 41 in.

Nebula matutina, crescente die leuata in nubes, caliginem dedit; humor inde ab austro uelut perfudit omnia.

Legendum: humor inde austro aduectus perfudit omnia. (cf. Sen. Med. 584).

XVI.

Tac. Germ. 3. in.

Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum uocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur.

Legendum est: Sunt illis heroica quoque carmina cet.

XVII.

In Lege XII Tab., Tab. II. 2 pro *dies diffensus* scribendum est cum Vrsino: *dies diffisus*.

XVIII.

Fest. u. FASTIS (p. 93 Mueller): Fastis diebus iucunda fari licebat, nefastis quaedam non licebat fari.

iucunda mutandum est in *cuncta*.

XIX.

Tab. Bantina us. 12: In suaepis ionc fortis meddis moltaum herest (*Et siquis eum* fortis *magistratus multare uolet*) FORTIS et e legis sententia et e uocabuli forma aliter explicari nequit quam per Latinum *fortius*. (Buecheler).

XX.

Appellatio *patres conscripti* a V. Cl. Willems recte ita explicatur, ut non sit *patres conscriptique*, sed *patres* (*albo senatorio*) *conscripti.*

XXI.

Ex Cic. Lael. VII. 24: »stantes plaudebant in re ficta" minus recte efficitur Romanos illa aetate stantes, non sedentes spectaculis interfuisse.

XXII.

Imagines leuiter tantum rubro colore delineatas in lapide sepulcrali Musei Leidensis I. 281 minus recte Ianssenius in Catal. Mon. Graec. Rom. Etr. Mus. Leid. p. 43 ita explicat ac si essent mera lineamenta, ad quorum normam sculptor opus suum conformare deberet.